Thomas Knyvett.

Duplicate
4°. B. 36. Th.

BVLLÆ PAPISTICÆ ante biennium contra Sereniss. Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Reginam Elizabetham, & contra inclytum Angliæ regnum promulgatæ, refutatio, Orthodoxæq; Reginæ, & vniuersi Regni Angliæ defensio,

Thomas Knyvett

Henrychi Bullingeri.

S.

¶ LONDINI,
apud Iohãnem Dayum Typographum.

An. Domini.
1571.

355

Thom. Tanner.

¶ AD REVERENDISSIMOS PIIS-
simosq; & vigilantiss. inclyti Regni Angliæ episcopos, D. Edmundum Gryndallum, Archiepiscopum Eboracen. D. Richardum Coxum episcopum Elienſem, & D. Ioannem Iuellum episcopum Sariſberien. dominos meos honorandos, & fratres in Christo chariſs.

Henrychi Bullingeri Senioris.

PRÆFATIO.

REuerendiſ. in Chriſto patres, domini honorandi, & fratres chariſ. Multum me pietati veſtræ debere fateor, qui cum tãto inuicem interuallo ſimus diſiuncti, vos quidem trans mare habitetis in Anglia, ego vero non procul ab Alpibus, viuam in Heluetia, nihilominus P. v. frequentibus literis amicitiã fraternitatemq; noſtrã, olim cõtractam, tam ſtudioſe colat conſeruet atq; magis & magis in diem augendo prouehat. Vnde meritò me gratum P. v. obſequioſumq; modis omnibus exhibere debeo. Cumq; ſubmiſſa ſuperioribus diebus Bulla Pij. v. epiſcopi Romani, quam antea non videram, neq; de ea quicq̃ audieram, occaſionem mihi ſuppeditaſtis, agendi aut conandi ſaltem aliquid, pro gloria Chriſti redemptoris noſtri vnici, & pro ſalute eius quæ apud vos eſt in Anglia, eccleſiæ, cõtra Antichriſtum Romanũ: en P. v. refutationem hanc meam Bullæ oppoſitam, dedico & exactiſſimis veſtris iudicijs ſubijcio, vt pro P. v. beneplacito ſtetq; cadatq; tota. Oro autem vt hunc meum conatum animumq; cauſæ bonæ veſtræq; pietati

deuotissimum, benignè accipiatis. Alioqui fateor liberè facultates meas admodum esse exiguas, vestram vero eruditionem amplissimam, vt me hanc causam longè fœlicius potuissetis, siquidem ita libuisset, pertractare. At cum intellexerim, hoc meo labore qualicunq;, me P. v. gratificaturum, nolui illa in me desideraret quicq̃. Faxit Christus dominus, vt vberrimo cum fructu multorum differam. Salutare quæso dignemini Reuerendos meos dominos & fratres charis. D. Robertũ Hornum Wintonien. episcopum: D. Edwinum Sandum Londonien. episcopum: D. Ioannem Parckhurstum Nordouicen. episcopum: D. Iacobum Pilckintonũ Dunelmen. episcopum; D. itẽ Ioan. Ælmerum, Samsonem, Humfredum, Leuerum, Foxum, & reliquos exilij quondam vestri in Heluetia, & per Germaniã socios, quorum omnium precibus me commendo. Sed & omnes ministri, & fratres qui hic sunt vobis omnibus omnia fœlicia in Christo Iesu domino nostro precantur. Dominus Iesus benedicat ministerio P. v. & seruet ab omni malo. *Tiguri Mense Febr. Anno salutis nostræ.* 1571.

Angliæ Reginam, & vniuerſum Angliæ Regnum inclytum, Periocha.

Ræſtare videtur, vt ante omnia, audiatur ipſius Bullæ Romanæ Periocha. Neq; enim illa digna eſt, quæ ex integro, & ad formã, vt dici ſolet, recitetur. Vbi tamẽ præteribimus nihil, quod modo alicuius fuerit momenti, confutationẽq; requirere videatur. Per initia deprædicat, ampliſſimiſq; verbis iactitat Papa, immenſam illam ſuam potentiam, quam vocat plenitudinem poteſtatis, acceptam quidem illam à gubernatore rerum omnium, Chriſto Ieſu domino noſtro, qui eccleſiam catholicam, & apoſtolicam vni ſoli in terris apoſtolorũ Principi Petro, Petriq; ſucceſſori Romano Pontifici, in poteſtatis plenitudine tradiderit gubernandam, adeoq; hunc vnum ſuper omnes gentes, & ſuper omnia regna principem conſtituerit: qui euellat, deſtruat, diſſipet, & diſperdat, rurſus plãtet, & ædificet, vt populum fidelem in vnitate ſpiritus contineat, ſaluumq;, & incolumem ſuo exhibeat ſaluatori.

Ex hac plenitudine poteſtatis, conſcendens ille in ſupremum tribunal, id quod ſupremum iuſtitiæ thronum nuncupat, inde idem & iudex, & accuſator, capita accuſationis, quæ contra Sereniſs. Angliæ Reginam habet, detonando recitat, quam & ab initio mox

ore maledico, sibi planè proprio, flagitiorum seruam nuncupat, quæ Angliæ regnum (olim à beatæ memoriæ Heinricho 8. defectore (sic enim Bulla loquitur) à Romana ecclesia auersum, rursus verò ad fidem catholicam conuersum, per Mariam Reginam) reuocarit in miserum exitium, deniq; asylum sit facta profugorum infestißimorumq; hominum: quæ item se solam in temporalibus & spiritualibus dominam velit agnosci, vsurpando sibi monstrosè supremi capitis locum: quæ deniq; episcopos, ecclesiarum rectores, & alios sacerdotes catholicos disponere, deq; ecclesiæ causis decernere sit ausa, deiectis & oppressis catholicis episcopis, euectis autem repositisq; in locum deiectorum, improbis concionatoribus atq; impietatum ministris. Eadem, Missæ sacrificium, inquit, preces, ieiunia, ciborum delectum, cœlibatum, rituſq; catholicos aboleuit, Libros manifestam hæresim continentes vniuerso regno proponi, Impia mysteria & instituta ad Caluini præscriptum à se suscepta & obseruata, etiam à subditis seruanda, mandauit. Clero & populo, ne Romanam ecclesiam agnoscant, neuè eius præceptis obtemperent, interdixit. Sed & Romani Pontificis authoritatem atq; obedientiam abiurare iureiurando coëgit. Pœnas & supplicia inobedientibus imposuit, easdemq; ab ijs, qui in vnitate fidei & prædicta obedientia perseuerarunt, exegit: catholicis etiam episcopis in vincula coniectis, vbi multo & diuturno languore mœrorcq; confecti, extremum diem miserè obierũt. Quæ quidem omnia tam sint notoria, vt nullus omnino locus excusationis, defensionis, aut tergiuersationis sit relictus.

Ergo iam stricto gladio ex throno illo suo exurgens, & capitalem sententiam in Sereniß. Reginam, adeoq; & in omnes eius complices in vniuerso regno pronuncians, hæreticam

reticam hæreticorumq́; fautricem indicat atq́; declarat, & iccirco anathemate confoſſam, & à corporis Chriſti vnitate reſciſſam, præterea & regno, omniq́; regni iure, & quocunq; dominio dignitateq́;, & priuilegio priuatam, inſolentiſſimè decernit. Neq; his contentus, amplius etiã procedens, vniuerſis & ſingulis proceribus, ſubditisq́; Reginæ populis, ſub pœna eiuſdem anathematis præcipit, ne poſthac legibus aut mandatis Reginæ, vt ait, prætenſæ, obediant. Quin imò eoſdem omnes, qui Reginæ quomodocunq́; iurauerunt, à tali iuramẽto, ac ab omni prorſus dominij fidelitatis, & obſequij debito, abſoluit, &c.

Ex quibus omnibus illud manifeſtè conſequitur, quod & Reginam Sereniſs. & inclytum Angliæ regnum, alioſq́; populos inter ſe committendo, crudeliſſimè, & nephariè obijcit & hoſtibus, & amicis adeoq; & ipſis ſubditis (auditu horribile) ciuili bello & ſeditionibus atrociſſimis, impiè dilacerandam, ſi qui modo ſint tam dementes, & omnis pietatis humanitatiſq; vacui, qui talem, id eſt planè Sathanicum ſinant, iſtius virulentæ beſtiæ incantatione, furorem ſibi inſpirari.

Expoſui hactenus quæ Bulla illa impia, & maledica, ſeditioſa & cruenta continẽtur, ac proponuntur. Quibus ſi quis aliquid adhuc breuius, perinde tamen, vt expoſitum eſt, inſolens & impudens velit, audiat qualem titulum Bulla præfixum oſtentet. Sanctiſſimi domini noſtri Pij Papæ v. ſententia declaratoria contra Elizabetã prætenſam Angliæ Reginã, & ei adhærẽtes hæreticos. Qua etiam declarantur abſoluti omnes ſubditi à iuramento fidelitatis & quocunq; alio debito, & deinceps obedientes anathemate illa queantur.

Poteſtatem illam Pontificis Romani immenſam, non probari his Domini ad Petrum verbis, Petre amas me, Paſce oues meas.

AVdiſtis hucuſq; patienter ſententiam, vel declarationem Papæ per Bullam, contra Sereniſſ. Angliæ reginam. &c. promulgatam, nunc obſecro mihi quoq; beneuolas præbete aures. Breuiter & perſpicuè demonſtrabo, nihil eſſe in hac Bulla veri, ſolidi, aut ſani, cauſamq; quam ſuſtinet, & agit Papa, contra Seneriſſ. Reginam, eſſe malam iniquiſſimamq;, cauſam vero Reginæ optimam, æquiſſimamq;. Auſpicabor autem ab immenſa illa Papæ potentia, quam iactat, & cuius vi ſe iudicem in hac cauſa conſtituit. Hac enim euerſa, corruit vniuerſa Bulla, reſq; iudicata, ruinoſo huic fundamento ſuperinſtructa, atq; ita ſedebit in ſede illa ſua, non formidabilis aut iuſtus Iudex Papa, ſed idolum, bonis omnibus contemnendum, atq; etiam conſpuendum, eruntq; iudicata eius non amplius Iouis fulmina, ſed è pelui micantia fulgura, modis omnibus vilipendenda. Dicat ergo ille nobis ſanctiſſimus, imò prophaniſſimus, vbi aut quibus verbis, Dominus plenitudinem illam ſuam poteſtatis, id eſt, poteſtatem ſupremam, abſolutiſſimamq;, in ſpiritualibus, pariter & temporalibus vni ſoli Petro, Petriq; ſucceſſori Romano Pontifici tradiderit. Dicat ille nobis, vbi, aut quibus verbis Dominus Romanum Pontificē principem ſuper omnes gentes, & ſuper omnia regna conſtituerit. Non ignoro hic fabulas veſtras putidas, pariter & inſulſas. Non ignoro quales ædiderint Decretales, Gregorius 9. Bonifacius 8. Innocentius 4. Clemens 5. Ioannes 22. & reliqui his ſimiles coniurati & Catilinæ ſocij. Ego verò Iu-

Quid Papæ de ſua immenſa potentia tradant.

dicata

dicata illa vel Decretales illas audiri nolo, quas Marsilius Patauinus insignis iureconsc. scitè nec minus verè dixit, neq; diuinas neq; humanas leges, sed planè olygarchicas esse narrationes. Vos absq; omni parabola dicitis, Christum Dominum nostrum eam quam iactatis plenitudinē potestatis, Petro, & Petri successori Papæ dedisse, proferte ergo huius assertionis vestræ luculentum è Nouo Test. testimonium. Sed ne apicem quidem, aut iota huius vestræ assertionis proferre potestis: iccirco mendacijs & figmentis consceleratissimis, tàm vos quàm vestri prædecessores territastis, & seduxistis aliquot iam seculis, homines bonos, plus nimium vobis addictos, credulos, atq; formidolosos. Decretales.

Quod enim illi in medium protulere verba illa Domini, ab eius Resurrectione tertium S. Petro ingeminata & inculcata, Petre amas me, pasce oues meas, miror profectò & illos, & vos ita omnem frontis abstersisse pudorem, vt hæc pro vestro dominio, imò pro vestra tyrannide stabilienda adducere non vereamini. Quasi verò nos omnes cæci, aut fungi simus, communi carentes sensu, nec videntes illa non ad dominium, sed pertinere ad ministerium. Petrus hoc potissimum nomine à Domino consolandus, & nomini officioq; apostolico, vnde in Passione Domini excidisse videbatur, restituendus erat, quod reliquis apostolis fœdiùs fuisset lapsus, adeoque tertium abnegasset Dominum, præterea & abiurasset Dominum. Ergo ne per abnegationem ternam, amotus videretur à munere apostolico, terna vicissim confessione amoris, & officij iniunctione consequente, recipitur rursus à Domino, muneriq; coaptatur apostolico, vt vnà cum alijs Domini apostolis, gregem pascat dominicum. Quis enim dixerit soli Petro, & non etiam alijs apostolis commissas esse pas- Exponitur locus Ioan. 21. Pasce oues meas.

cendas oues Domini (Et Petrus quidem amore singulari, & in Dominum ipsum, & in eius ecclesiam flagrauit. Eundem amorem requirit Dominus abs quolibet gregis sui pastore. Hoc vero quid obsecro pertinet ad Roman. Pont. flagrantem cupiditate dominandi, habendi, atq; adeo & voluptuandi, vt ne quid aliud dicã? Pascere iussit Dominus Petrum gregem Domini, adeoq; omnibus fidelibus Ministris, Christum sincere amantibus commisit gregem suum. Quid hoc rursus facit ad comprobandam episcoporum Romanensium tyrannidem? Pascere non est se supra omnem potestatem extollere, Reges & principes sibi subijcere, ac in omnes, & omnia sibi plenitudinem potestatis vsurpare: Sed pascere est docere, exhortari, obiurgare, consolari, & gregem Christi secundum verbum Domini gubernare. Pastores itaq; sunt doctores in ecclesia, qui euangelium prædicando gregem Domini pascunt. Pabulum enim ouium est verbum Christi. Oues sunt electi Christi, & populus Dei. Huius ministri, nõ Domini, sunt pastores, subiecti summo pastori Iesu Christo, cuius solius est, & manet omne imperium, omnis potestas & gloria: ipsomet Domino hoc negotium gregis, vel ouium pastorumq;, & rationis pascendi sic exponente apud Ioannem in ca. 10. ipsomet quoq; Petro accinente, & dicente, Præsbyteros qui inter vos sunt obsecro, qui sum & ipse præsbyter, ac testis afflictionum Christi, atq; idem consors gloriæ, quæ reuelabitur, pascite quãtum in vobis est gregem Christi (ἐπισκοποῦντες) episcopantes vel curam eius agentes, non coactè, sed volentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neq; ceu dominium exercentes aduersus cleros, sed sic, vt sitis exemplaria gregis. Arrigite hic aures, vos monarchæ Romani, audite & obseruate, quid Petrus vester dicat. Non is se dominum caput &

Pascere.

Pastores.
Pabulum.
Oues.

1. Pet. 5.

prin-

principem nominat, sed compræsbyterum: quin imò & dominium, & reliqua fœda vicia, quibus vos toti contaminati, imò defœdati fœtetis, prohibet affectari. Christũ autem summum pastorem in summa humilitate, ac fide sincera spectandum, eiq; seruiendum proposuit. &c.

Ad eundem modum & Apostolus Paulus, in Actis apostolicis, ad pastores, in Synodo Miletana congregatos: Attendite, inquit, vobis & cuncto gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos (hos paulo ante Lucas appellauit præsbyteros) ad pascendum (ποιμαίνειν) ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Rursus idem paulò ante in eadem sua Oratione exponit, quomodo ipse hactenus in sua illa vocatione, gregẽ domini sibi commissum, pauerit, & dicit, Nihil eorum suffugi, quæ in rem vestrã erant, quin annunciarem vobis, & docerem vos publicè & priuatim, testificans tudæis simul & Græcis, tam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Dominum Iesum. Claret ergo ex hac illustri apostolica explicatione (luce clarius) gregem vel oues (sicut & paulò ante dixi, & nunc libenter repetendo ex verbis apostolicis colligo, vt quod verum est, contra turpissima mendacia omnibus etiam inculcens) esse populum seu ecclesiam Domini. Dixit enim Apostolus, Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos posuit episcopos, ad pascendũ ecclesiam Dei. Ita pastores sunt doctores ministri pascentes gregem, dum publicè, & priuatim annunciando docent. Pabulum itaq; rectè dicitur esse doctrina, nec quælibet, sed quæ docet, vt Paulus dixit, pœnitentiam erga Deum, & fidem in Iesum Christum. Act. 20

Hæc inquam est sana, & simplex, non aliena vel violenta, aut detorta verborum Christi, Pasce oues meas, expositio, ex ipsissimis Domini & apostolorum eius verbis

desumpta, & iccirco omnibus alijs interpretationibus anteferenda, neq; vlla alia quæ cum hac dissentiat, cuiuscunq; tãdem sit interpretis, siue veteris, siue noui, admittenda vel recipienda. Itaq; indubitatum esse iam dubitat nemo hisce Domini verbis, Pasce oues meas, neq; Petro, neq; Romano Pontifici plenitudinem potestatis, quam hi iactant, & hisce verbis datam clamitant, traditam esse à Domino. Possem & alia ex Prophetis de hac pascendi ratione, pro nobis testimonia adducere, vt ex cap. Ieremiæ 3. & Ezech. 34. nisi breuitati studerem. Ne tamen hic quicq̃ dissimulem, fateor & Romanum Pontificem in prophetis quoq; suæ gubernationis, & rationis pascendi euidens admodum habere testimonium, Zacharia attestante & dicente, Et dixit dominus ad me, Adhuc sume tibi instrumenta pastoris stulti. Quia ecce ego suscito in terra pastorem, qui quod excisum est non visitabit, & quod iuuenile vel stolidum est, non requiret, quod confractum est, non sanabit, quod stat non pascet, & carnes pinguioris comedet, & vngulas eorum confringet. Væ pastori idolo, deserenti gregẽ. Et reliqua quæ sequuntur Zach. cap. 11. Habetis autem in his vos Roman. speculum, in quo, faciem vestram agnoscentes contemplemini.

Pontificios neq; his Christi verbis, Orani pro te Petre, & neq; his, Ecce duo gladij hic, satis probare, sibi eam esse datam potestatem, quam iactant.

Nihilo plus iuuant aut ornant isti causam, quando iterũ saluatoris nostri verba pro se, suoq; dominio asserendo adducunt, quando ad Petrum dixit, Simon, ecce sathanas expetiuit

Luc. 22.

petiuit vos, vt ventilaret, sicut triticum. Ego vero pro te Petre oraui, ne deficiat fides tua. &c. Nam quorsum hæc pertineat sententia, mox ipsemet dominus, subiectis verbis declarans, dicit: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Dementem planè & in reprobum sensum eum datum esse oportet, qui hæc, quæ manifestissimè constat dicta esse ad admonitionem, & consolationem lapsorum, detorqueat ad potestatem illam Papæ iniustiß. confirmandam. Nam locus ille, simpliciter nos admonẽs docet, quod ipse etiam Petrus nos postea docuit, & dixit: Aduersarius vester diabolus, tanq̃ leo rugiens obambulat, quærens (quod Dominus extulit, Expetit vos ad ventilandum) quem deuoret. Cui vigilantes, fide resistite. Etenim Dominus in his quoq; suis ad Petrum verbis, non illud modò, sed etiam hoc docet nos, perstare in tentationibus, non nostris quidẽ viribus, sed patrocinio, auxilio, beneficioq; Christi Domini, conferentis vtiq;, augentis, & conseruãtis in nobis fidem. Quam Ioannes in sua Epistola, vocat mundi victoriam. Præterea docet propter delicta à nobis admissa, & propter indefessa, improbaq; sathanæ, contra nos, studia, minimè nobis desperandum esse, vel tentationibus exercitatis, vel etiam in pugna lapsis: quippe qui cernimus Petrum negatorem, imò & abiuratorem Christi, à Christo consequutum esse veniam. Idq; in argumentum & testimonium perpetuum, omnes peccatores, licet à sathana circumuentos, reuertentes tamen ad Dominum, in gratiam benignè fore recipiendos. Nam hoc est Petrum à sathana cribratum, sed patrocinio Christi recollectum, restitutum & conseruatum, confirmare fratres suos. Et quid hæc obsecro, faciunt ad firmandam immensam, licentiosissimamq; Paparum potentiam? Neq; Christo neq; Petro, huius tantillum vnq; venit in mentem. Sacrilega

Exponitur locus, Oraui pro te Petre.

1. Pet. 5.

1. Ioan. 5.

ergo expositio est istorum corruptissorum hominum, quæ renitentibus verbis Domini obtrudunt.

Fides Romanæ ecclesiæ nunquam defecit.

Iam vero quid hoc faceret ad probandum eorum dominium, si maximè verum esset, quod dicũt, Fidem Romanæ ecclesiæ nunq̃ defecisse? Quod tamen Dominum hic dixisse non legimus. Oraui pro te Petre, inquit, ne fides tua deficiat. Ac licet Petri fides, qua donatus fuit, quã & prædicauit, adde quam & Romæ prædicauit sit perpetua, & quæ nunq̃ deficiat, sicut sanè, per Dei gratiam, innumeris per orbem hodie locis viget, quemadmodum etiam nullis nunq̃ extincta est temporibus, hoc vero quid ad Romanam hodiernam ecclesiam, eiusq̃ dominium insolentissimum attinet? Quin imò facilius planè dicitur, quàm probetur, Romanæ ecclesiæ fidem (si intelligas per fidem eam fidem simplicem, & sinceram, quam Petrus habuit & docuit) nunq̃ defecisse. Etenim ne hic verba multiplicemus, agè fiat legitima collatio, qualis olim fuerit Petri doctrina, & fides, & qualis hodie sit doctrina & fides, sub Romanis Pontificibus, Romanæ ecclesiæ. Agè fiat etiam collatio inter mores, & vniuersam Petri vitã, & inter mores, vitamq̃ Rom. Pontificum, qui Petri successores esse volunt. Inde verò fiat iudicium.

Dominus iubet discipulos parare ad profectionem gladios.

Et cum Dominus à Cœna, profecturus in hortum montis Oliuarum, iuberet suos discipulos, etiam vestibus diuenditis, sibi parare gladios, respondentibusq̃ se duos habere in promptu, diceret, satis esse, minimè Petro, cui tum soli, & priuatim non loquebatur, verumq̃, in ecclesia exercendum tradidit gladium, tam spiritualem quàm temporalem. Mox enim causam huius sui mandati subijciens; Dico enim vobis, ait, adhuc oportet perfici in me scriptum illud, & cum sceleratis numeratus est: significans vtiq̃, se in monte oliuarum instar facinorosi vincendum

endum & ducendum, sed & discipulos in extremum cõijciendos, etiam vitæ periculum: ex quo tamen eos nullius gladij terrore, sed sua solius velit liberare voce, vel potentia. Aliud ergo, & quidem longè aliud voluit Dominus, quàm gladij temporalis vsum, & potentiam immensam tedere, vel Petro vel vlli alteri, sed instructis iam ad pugnam discipulis, in ipso Oliuarum monte oculis subijcere, quod ex persecutionibus, propter Christum immissis, discipuli non sint liberandi gladiorum temporalium beneficio, sed Christi domini auxilio, & verbo, dicentis, si me quæritis, sinite hos abire. Atq; in hunc finem permisit dominus Petro, vt stricto gladio inuaderet Malchum pontificis seruulum: Verum quid ea re effecit Petrus? Adeo nec se nec condiscipulos, nedum ipsum dominum, gladio illo suo liberauit ab impendentibus malis, vt potius in se cruenta conuertisset hostium arma, nisi dominus dixisset, sinite hos abire. Christi ergo patrocinio, non gladio, seruati sunt discipuli, & eiusdem defensione seruantur hodie quoq; in persequutionibus, quotquot seruantur. Id quod ad oculum per gladios illos commonstrare, & illis, & nobis voluit, submonens interim vt in persequutionibus ad Christum conuersi, ipsius petamus auxilium, qui vel verbo tempestates quasuis possit sedare furentes. Atq; hic fuit vsus gladiorum, ad hoc saltem tempus, & in hunc finẽ allatorum, iussu Domini ad montem Oliuarum.

Quid quod ipse dominus plenissime sese exponens, ad Petrum iam gladio pugnantem conuersus, dicit, conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui accipiunt gladium, gladio peribunt. An non existimas, quod non possim modo rogare patrem meum, qui exhibeat mihi plusquàm duodecim legiones angelorum? Quomodo itaq; implebuntur Scripturæ? Nam sic oportet fieri. Iccirco Math. 26.

cum dominus ſerio iubet Petrum recondere gladium in vaginam, quis non videat, antea Dominum ideo diſcipulos iuſſiſſe exportare gladios, vt iam gladij vſum, & Petro & miniſtris omnibus, hoc veluti ſpectaculo, pala, & ſignificatiſſimè, omniq; remoto inuolucro, inhiberet, imò & ſumptum ex manibus extorqueret? Quando itaq; dominus gladium illum temporalem ex manibus Petri extorſit, quis malus dæmon iubet nos Pontifices, gladium hūc, contra domini mandatum, rurſus vagina ereptum, pro veſtra vibrare, atq; vſurpare libidine? An non piget pudetq; dicere, nobis hiſce domini verbis, ſatis datam vtriuſq; gladij poteſtatem, cum adeo nihil huius in præſentia vobis dederit, vt etiam gladium temporalem palàm manibus veſtris excuſſerit. Iudicet iam mundus vniuerſus, num Romanenſes illi vultures probarint prædictis ſcripturarum teſtimonijs, Chriſtum ipſis vtriuſq; gladij, & plenam tradidiſſe poteſtatem. Certè quæ hactenus attulere ex ſcripturis teſtimonia, non modo nihil ipſis tribuerunt, ſed ademerunt potius omnia, quæ illi ſibi contra ius & phas vendicant.

Exponuntur verba ſaluatoris, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. oſtenditurq; nihil ibi agi de plenitudine poteſtatis Papæ, neq; eccleſiam Chriſti ſuper Petrum, aut Papam eſſe extructam.

DEcuſſo ex manibus ipſorum ſuo illo, quo gloriabantur gladio, protinus feſtinant ad Petram in quam fundata eſt eccleſia, adeoq; ad ipſum Petrum & claues eius. Nam in his, & per illum affirmāt ſe poteſtatem im-

perium-

periumq; plenissimum & cœli & terræ accepisse. Vbi mira cornicantur, & de ecclesia super Petrum ædificata, & de clauibus, earumq; mirifica potestate, adducentes pro se verba saluatoris nostri, quæ leguntur in Euãgelio secundum Math. cap. 16. Cæterum corrumpunt isti sacrilegio nunquam satis piando, sacerrimum hunc Euangelij salutarique doctrina & consolatione refertiß. locum. Id quod pijs lectoribus, consequentibus, Deo aspirante, euidenter demonstrabo. Quærit eo loci à discipulis suis dominus, quem se dicant esse homines: Respondent discipuli, varias in vulgo de ipso esse sententias, ac opiniones, dum hic illum Heliam, alius Ieremiam esse dicat. Voluit autem ea quæstione dominus significare, semper in mundo diuersas fuisse, & futuras esse de religione opiniones. Verum ea diuersitate neminem debere offendi. Nam legimus etiam apostolum domini dixisse, oportet hæreses esse, quò qui inter vos probati sunt, manifesti fiant. Subiũgit autem priori quæstioni Dominus, quæstionem alteram. Quid inquam discipuli, qui iam diu Christi fuerant auditores, ideoq; & in rebus religionis vulgo peritiores hauddubie, quid inquam ipsi sentiant de Christo? Significabat autem altera illa sua quæstione, à filijs Dei certam & veram requiri in religionis negotio confessionem. Nõ enim hos, vt filios huius seculi, debere fluctuare, & nihil certi habere, ac quibuslibet opinionibus pro libitu, & cursu huius seculi sese accommodare. Certè multis alijs quoq; scripturæ locis requiritur à singulis dei filijs, singularis veraq; fidei confessio. Ad hanc quæstionem S. Petrus, non tàm suo, quàm omnium aliorum discipulorum nomine, confessionem edens singularem, dicit, Tu es Christus filius Dei viuentis, verus inquam Deus, & homo verus, unctus ille, nimirum Messias, vel Christus in mundum ventu-

Exponitur locus. Math. 16.

1. Cor. 11.

Vera confessio fidelium.

turus, rex inquam & sacerdos, mediator, pacificator, redemptor, ac salus totius mundi. Et hanc confessionem veram & genuinam esse confessionem, ostendit etiam apostolus Christi Paulus, Rom. 3. 4. & 10. cap. multisq; alijs in locis.

Quæ & quanta vis veræ fidei.

Huic confessioni applaudens Dominus, Petro dicit, Beatus es Simon filius Ionæ, significans breuissimis his verbis, quæ & quãta sit vis veræ in Christum fidei, vtiq; iustificare, & beare, id est, æternæ vitæ consortes facere. Quod & apostolus multis ostendit in Epistolis suis, ad Rom. Galat. Ephesios, ac in alijs. Præterea subiungit Dominus, vnde sit illa fides tam præclara, dicens, Caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Cœlitus ergo à patre luminum donatur nobis fides, & nõ oritur, in nobis aut ex nobis. Sicuti pluribus locis etiam apostolus testatur, & Dominus ipse apud Ioannem dicit, Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.

Vnde sit vera fides.

Ioan. 6.

Fides efficit nos Christianos.

Porrò fides hæc inserit nos Christo, & efficit nos christianos. Sequitur enim in verbis domini, Et tu es Petrus, nimirum ex confessione Petræ. Petra autem quid sit, nemo nescit, metaphorice verò passim in Scripturis adaptatur Deo, quod is sit fidelium suorum robur, firmitas, refugium & fundamentum, cui innituntur, & in quo solo seruantur. Ab hac petra Simon filius Ionæ Petrus appellatur, quod nominis id perinde est, ac si tu dicas, Petræ deo innixus, Christoq; dei filio insertus, firmus adeoq; Christianus. Etenim Christiani nuncupãtur à doctoribus Scripturæq; interpretibus, etiam Petri, quod superimpositi petræ Christo, per fidem, firmitatem roburq;, & vitam ex eo hauriant, vt per Christi virtutem in omni sua vita sint firmi in fide, Christumque colant omni virtutum genere. Ita verò ipsemet Petrus hoc mysterij nobis

Petra.

Petrus.

expli-

explicans, dicit, Christus (petra) lapis est viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deũ verò electus & præcioſus, cui ipſi quoq; , veluti viui lapides, ſuperædificamur, vt ſimus domus ſpiritualis, offerentes ſpirituales hoſtias, Deo acceptabiles per Ieſum Chriſtum. Tales autem Petri qui non ſunt, nõ eſt quod vel Petri vel Chriſtianorum nomine quicq; glorientur: Manent enim quod ſunt, filij huius ſeculi. 1.Pet.2.

Sequitur porrò in verbis domini, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meã. Quibus verbis à particulari ad generale conſcendens, & dogma catholicũ eccleſiæ ſuæ tradens, manifeſtiſsimè declarat, nõ hæc ad vnum Petrũ, aut ſolos ſuos pertinere diſcipulos, ſed ad catholicam, id eſt, vniuerſalem eccleſiam, cuius fundamentum, petra, & caput ſit Chriſtus, cui ſuperextructa per fidem conſequutura ſit ſalutem. Quaſi dixerit Dominus, Non tantum Petrus à me petra ſic eſt appellatus ſolus, quin imò quotquot poſthac, Petri exemplo, Chriſtũ me eſſe viuentis Dei filium, fuerint confeſſi, & vera hac fide in me vnicum fuerint innixi fundamẽtum, eos omnes pro mea familia, id eſt, pro mea eccleſia habebo & agnoſcam. Eritq; hoc, id eſt, Chriſtus petra, vnicũ eccleſiæ Dei in terris fundamẽtũ, & erunt mẽbra ciuesq; huius eccleſiæ ſanctæ, quotquot ita, vt Petrus, crediderint, & in hoc fundamẽtũ ſalutis, ſe per illã fidem, collocauerint. Atq; hoc eſt quod dixit dominus, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meam.

Ne quis autem de hac ſimplici, & vera expoſitione verborum Domini (quando verba hæc Domini, alij atq; alij aliò detorquentes abripiant) addubitet, en expoſitionem hanc ſuperius recenſitam, confirmabo & illuſtrabo etiam locis ſcripturæ alijs. Certè ſcriptura paſsim teſtatur concorditer, ſola nos fide in Chriſtum iuſtificari, in Chri-

ſtũ inſeri fieriq; membra Chriſti & eccleſiæ, quæ eſt communio omnium ſanctorum, id eſt, fidelium, Chriſto innitentium: ſed & nullam creaturam, ne ipſum quoq; Petrum, nedum Romanum pontificem, poſſe eſſe petram, caput, & fundamẽtum catholicæ eccleſiæ. Quod ne cuipiam videatur durum, & à veritate (quando ex diametro diſſidet cum placitis Romanæ eccleſiæ) alienum, en profero illuſtria & indubitata, hac de re, ipſius ſpũs ſcti, per prophetas & apoſtolos loquentis teſtimonia. Dauid Pſal. 18. clamat & dicit, Quis eſt Deus præter dominum, & quis eſt petra præter Deum noſtrũ? Et Deus ipſe apud Iſaiam, Ecce ego pono, inquit, in Zion lapidem angularem, electũ, præcioſum, qui crediderit, eiq; innixus fuerit, non pudefiet. Iam & apoſtolus Paulus, Petra, inquit, erat Chriſtus. Et iterum, Fundamentum aliud non poteſt poni, quàm quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Quod quidem plenius exponit in epiſtola ſua ad Epheſios. Cui per omnia congruit & S. Petri teſtimoniũ, qui ex Dauide oſtendit Ieſum eſſe lapidem vel petram illam, cui per fidem eos oporteat ſuperædificari, qui voluerint fieri domus Dei, vel participes fieri eccleſiæ Chriſti. Quæ cum indubitanter ſic habeant, oportet omnino hæc Domini verba, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, de Chriſto interpretari ſolo, vtpote qui in ſanctis ſuis, vt caput in membris, cælitus regnat, & à quo, vt capite vitali, irrigantur ſpiritu, & vitam ex ipſo hauriunt, vitamq; ipſo dignam, per ipſum, viuunt. Et caput quidem eſſe, vt manifeſtiſſimè ex doctrina apoſtolica colligitur, eſt dominum & ſaluatorem eſſe, ſubiectisq; capiti membris, vitam inſpirare. Nec vnq; poteſt à corpore ſuo abeſſe caput citra corporis interitum. Cum Chriſtus ſit illud eccleſiæ caput vnicum, oportet eum perpetuo adeſſe ſuæ eccleſiæ. Vnde

Iſa. 28.

1. Cor. 10.
1. Cor. 3.

Eph. 2.

1. Pet. 2.

Chriſtus eſt caput eccleſiæ.

hæc

hæc nullo in terris vicario opus habet. Nam vicarius abſentis eſt vicarius. Chriſtus autem ſemper eſt ſuæ eccleſiæ præſens. Dicit enim in Euangelio: Ero vobiscum vſq; ad conſummationem ſeculi. Nec vnq; relinquam vos orphanos, & iubet ergo noſtra religio, iubet conſors prophetarum & apoſtolorum doctrina, hæc, non de Petro aut Pont. Romano exponere, ſed de Chriſto ſolo. Si qui ergo inueniantur interpretes, vel veteres, vel neoterici, qui Domini verba prædicta interpretentur de Petro & Papa, potior vobis eſſe debet prophetarum & apoſtolorum, & huius ipſius Petri authoritas, quàm quorumlibet hominũ, quales quales hi tandem ſint. Perpetuo enim Chriſtus ſuæ manet eccleſiæ fundamentum, Petrus verò & reliqui apoſtoli, & qui his ſucceſſere miniſtri, manent huius ædificij, architecti, ſuperædificantes, non ſuper ſemetipſos, homines, ſed ſuper hoc fundamentum vnicum & perpetuum, ſicut perſpicuè apoſtolus docet in 1. ad Corinth. ca. 3. Atq; hic murus aheneus eſto.

Vicarius Chriſti.

Math. 18. & 28 Ioan. 14.

Neq; cum his pugnat, quod in Apocalypſi, Ciuitas Dei dicitur habere duodecim fundamenta, & in his deſcripta duodecim apoſtolorum nomina. Etenim apoſtolus. Non aliud, inquit, fundamentum poni poteſt, quàm quod poſitum eſt. Quia tamen in collocando hoc fundamento, id eſt, in Chriſto prædicando, apoſtoli Dei fuerunt cooperarij, & fidelem hic ſuam contulerunt operam, iccirco ciuitas illa dicitur habere fundamenta duodecim. Alioqui enim Apoſtolus ad Epheſ. ca. 2. vos cines eſtis ſanctorum, inquit, & domeſtici Dei, ſuperſtructi ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, cuius angularis lapis eſt ipſe Chriſtus Ieſus. In quo totum ædificium coagmentatum creſcit in templum in domino, in quo & vos ſuperædificamini, in habitaculum Dei per ſpiritum. At quis ſa-

Apoſtolí fundamenta ciuitatis Dei.

næ mentis posit hæc requirat illustriora? Caueamus ergo nobis omnes à putrido & ruinoso illo fundamento, quod Romana nobis substernere contendit curia.

Et portæ inferorũ, non prævalebunt aduersus eam.

Adijciemus istis adhuc consequentia Domini verba, ne quid huius loci maneat inexcussum. Et portæ inferorũ, ait Dominus, non prævalebunt aduersus eã. Quibus verbis prædicatur virtus, victoriaq; Christi, ecclesiæ eius, atq; fidei. Sunt autẽ portæ inferorũ omnis generis adeoq; & sathanæ virtus aduersaria, omnium potẽtissima & infensissima fidelibus. Proinde dicitur nullã quantũuis validã vim, siue ipsius sathanæ, siue mundi, siue vllius sub cœlo aut apud inferos potestatis aduersariæ, prævalitura ipsi Christo petræ, & super ipsam petram extructæ ecclesiæ, quæ vtcunq; tentetur & affligatur, vincat tamen tandem, in Christo, per fidem. Dixit enim Dominus, Princeps huius mundi iudicatus, & foras eiectus est. Et iterum, Confidite, ego vici mundum. Et Ioan. apostolus, Omne, inquit, quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides vestra. Et quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est filius Dei? Sic inquam locus hic per Scripturarum collationem satis clarè est illustratus. Si vero mihi hic liberet rhetoricari, multis exponere possem, portas inferorum non tantum prævalere contra Rom. pont. ipsorumq; Curiam, omnium impuriss. Sed ipsum inferorum principem merum in eis obtinere imperium. Id quod & testimonijs, & quærelis ipsorummet pontificiorum commonstrare approbareq; nullo negocio possem. Sed præterita fœditate illa abominanda, ad alia huius loci residua properemus explicanda. Nemo enim ita bardus est, qui non vel manibus dudum palpauerit, nihil in his Domini verbis, de immensa dici Papæ potentia, sed

Ioan. 12.
Ioan. 16.
1. Ioan. 5.

longe

longè diuiniora salubrioraq; nobis exponi. Deo sit laus & gratiarum actio.

Ne quidem clauibus Petro datis, plenitudinem potestatis, vel Petro, vel Papæ, à domino esse traditam. Claues enim longè aliud, & sacratius quiddam esse, quàm plenitudinem illam potestatis papisticæ.

SVbjcit Dominus præmissis, Et dabo tibi claues regni cœlorum. Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis, et quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Quibus verbis rursus ostendit Dominus, hoc beatitudinis & vitæ æternæ negocium, quod hactenus proposuit, non tantum ad Petrum, aut reliquos pertinere apostolos, sed etiam ad omnes per orbem terrarum homines. Sed & modum & rationem indicat, quomodo homines inducantur in ecclesiam, id est, quomodo ædificentur supra petram, ac membra fiant Christi & ecclesiæ, ingrediantur q; in regnum cœlorum. Vos apostoli, ait Dominus, aperietis viam, & veluti manu porrecta perducetis homines in mei sanctorum q; consortium, adeoq; in regnum cœlorum: idq; per prædicationem euangelij. Etenim fide inserimur Christo, et ecclesiæ eius. Fides autem ex auditu est, auditus autem ex prædicatione Euangelij. Itaq; dabo vobis, ait Dominus, claues regni cœlorum, id est, commendabo vobis munus prædicandi euangelij, in hoc, vt exeuntes in orbem terrarum, omnibus annunciando per me peccatorum remissionem, vinculis peccatorum constrictos soluatis, aperiatisq; regnum cœlorum credentibus, rursus verò euangelij prædicationem repudiantes, li-

Negocium salutis pertinet ad omnes.

getis, id est, annuncietis, contestantes eos æternæ damnationi esse obnoxios. Tam vero rata firmaq; erit uestra illa denunciatio & contestatio, vt quoscunq; per verbum meum vel solueritis, vel ligaueritis in terris, eos ego in cælis vel solutos, vel ligatos sim habiturus. Et hic est simplex, ex ipsis Domini verbis fluens, minimeq; coactus verborũ domini sensus. Quem consequentibus clarius illustrabo firmiusq; confirmabo.

Claues absolutæ potestatis.

Claues in scripturis non vna semper significatione proferuntur. Alioqui quid sint claues, propria sua significatione, nemo ignorat: instrumenta videlicet, quibus aperiuntur & clauduntur ædes, thesauri, & alia huius generis. Transferũtur autem à rebus corporalibus ad spiritualia, à terrenis ad cœlestia: & vsurpãtur aliquando pro summa & plena potestate, vt cum in Apocalypsi legimus christum habere claues Danidis, mortis, & inferni. Nam ea significatur loquutione christum habere summam & absolutissimam potestatem gubernandi regnum Danidis, habere item potestatem plenam in mortem ipsam, & in inferos, vt quoscunq; à morte liberare vel ad tartara detrudere velit, possit. Hæ claues, id est illa potestas, solius Christi est, nec vlli communicatur creaturæ. Vnde & in Apocalypsi significanter dicit dominus, Habeo claues: non autem dicit, habui, sed habeo, adhuc inquam habeo, nemini resigno, semperq; habebo.

Claues sciẽtiæ & regni cœlorum.

Est præterea clauis scientia, & clauis regni cœlorum. De qua in præsentiarum sit sermo. Clauis autem scientiæ est ipsa institutio, qua hominis intellectus aperitur, & homo eruditur. Clauis vero regni cœlorum est expositio illustris, qua homines docentur, qua via eant in cœlum, aut quomodo salui fiant. Nihil hic ex meipso fingo, scripturam in his sequor, ipsumq; pro mea expositione profe-

ro

ro verbum Christi, dicentis in Euangelio secundum Lucã, væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi nõ introistis, & eos qui introibant, vetuistis. Luc.11. Quæ quidem domini verba Matthæus sic effert, væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec aduenientes sinitis intrare. Matth.23. En quod Lucas dixit, tulistis clauem scientiæ, id Matthæus, eundem sensum reddens, extulit, clauditis regnum cœlorum. Proinde proferre claues regni cœlorum, quid obsecro aliud est, quàm proferre claues scientiæ, id est, doctrinam de regno cœlorum, qua instructi, sciamus quomodo æternæ salutis fiamus participes? Rursus auferre clauem scientiæ vel regni cœlorum, aliud nihil est quàm obstare doctrinæ euangelicæ de regno Dei, vel ipsam oppugnare, & proscribere ne prædicetur. Vos itaq; nõ intratis, ait Dominus, meæ inq; ausultando doctrinæ, non creditis, vt salui fiatis, nec aduenientes, cupidosq; meæ doctrinæ de regno Dei, sinitis intrare, meæ videlicet doctrinæ ausculare & credere, vt per fidem fiant hæredes regni Dei, dum vos meam calumniamini doctrinam, & mea opera, quasi à sathana proficiscantur, ideoq; sint abominanda & fugienda bonis. Ex his autem Domini verbis manifestissimè claret, Claues de quibus hic apud S. Matthæum loquitur Dominus, dicens: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & aliud non esse quàm ministerium prædicandi euangelij, commissum à Domino ministris ecclesiæ, vt annunciatione illa euangelica, regnum cœlorum aperiant credentibus, & incredulis occludant.

Quòd si hæc, quæ tamen (nisi fallor) perspicua & satis firma esse arbitror, nondum satisfaciunt: en alio modo (nihil tamẽ ab illa interpretatione, quæ ad rei summam, quam nunc reddidi, differente) totum hoc clauium negocium,

Claues cura & administratio domus.

cium, explicabo. Claues in scripturis etiam vsurpantur pro cura & administratione domus. Qui enim ministri à domino domui alicui præficiuntur, ijs claues traduntur, quibus aperiant & claudant, totamq; domum administrent: quod solet fieri ab œconomis super domum constitutis. Vnde iam & claues pro ipsa cura, administratione, vel gubernatione domus accipiuntur. Rursus nihil hic ex meipso fingo, sacras scripturas sequor, Dicit enim apud Isaiam Dominus, Clauem domus Dauidis ponam super humerum Eliachim, qui aperiet & nemo claudet, claudet & nemo aperiet. Quod quid aliud est, quàm si citra figuram dixisset? Sobna deiecto constituam præfectum prætorio, gubernationemq; regni vel palatij regis Ezechiæ, committã Eliachim, quam prouinciam ille tanta fide & authoritate administrabit, vt quod semel ille decreuerit, ratum sit futurum ac sacrosanctum, quod vero rescinderit, nemo tentarit facere ratum. Pari ratione dicuntur claues regni cœlorum apostolis, alijsq; ministris esse datæ, gubernatio inquam vel œconomia ecclesiæ, qua perducant ad regnum cœlorum, aut ex eius excludãt consortio. Quæ sanè nulla alia esse potest, quàm ea quæ inter præcipua habet, annunciationem verbi Dei, prædicationem inquam euangelij Iesu Christi, de remissione peccatorum & vita sempiterna. Quæ quidem ita certa ratáq; est, vt qui per hanc à ministris absoluuntur à peccatis, ij certò apud Deum ipsum quoq; sint absoluti, & qui per verbum à ministris deuouentur, propter incredulitatem, ij coram Deo maneant exitio deuoti.

Isa. 22.

Neq; verò & hæc quæ exposui de administratione domus per œconomos, id est, de curanda per ministros ecclesia, aliena sunt à verbo domini. Etenim recitat in Euangelio dominus parabolam, hominis peregrè proficiscentis,

&

& domui suæ præficientis seruos, qui sint œconomi, domum administrantes. Quæ sanè applicatur ecclesiæ domini dei, & ministris in ea collocatis, vt ipsam gubernãdo, prædicatione Euangelij maximè illustrent. Nam in eodem Euangelio iterum dicit dominus, quis putas fidelis seruus est & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det ei cibum in tempore? At ecclesiæ cibus quis sit, quis ignorat? Paulus certè, ad episcopum scribens, id est, curatorem & œconomum ecclesiæ, Stude teipsum, inquit, probatum exhibere Deo operarium, non erubescendum, rectè secantem verbum veritatis. Et adhuc clarius idem apostolus, de ministris & œconomia ecclesiæ loquens, dicit, sic vos existimet homo, vt ministros Christi & (οἰκονόμους) œconomos vel dispensatores mysteriorum Dei. Quo quid oro plenius, & planius in hac nostra causa dici potuit? Christus dñs in ecclesia instituit ministros nõ dominos, ministros inquã qui sint in ecclesia œconomi vel dispensatores mysteriorum Dei, nimirum euangelij, & quæ adiuncta sunt Euangelio. Ita enim mysteriũ exponit ipsemet dominus apud Matthæum in cap. 13. & apostolus quoq; ad Ephe. 3. Has claues, id est, hanc curam & œconomiam gubernandæ ecclesiæ, quæ administratur ad præscriptum Euangelij Iesu Christi, acceperunt apostoli, & post eos omnes ecclesiarum ministri, ad hoc munus legitimè vocati.

Quid sit in Euangelio soluere, & ligare: & quomodo Apostoli domini soluerint, & ligarint.

LIcet vero dominus dixerit, dabo tibi claues regni cœlorum, interim in consequentibus non meminit apertionis & occlusionis, quæ clauium propriè sunt, reposuit tamen voces

alias, soluere videlicet, & ligare, per quæ haud dubie explicare voluit vim clauium, & quomodo apostoli clauibus cælum vel recludant vel occludãt. Aperiunt cum soluunt vel absoluunt, in idem enim vtraq; hæc recidunt. Claudunt cum ligant. Ergo soluere est aperire. Ligare vero est claudere. Ligare alioqui vox est notæ significationis. Ligat enim minister, qui iubẽte suo domino aliquem conijcit in carcerem, vel alias implicat captiuitati. Soluit qui captiuum vinculis liberat, & ex carcere educit. Trãsfertur hoc à corpore ad animum. Nam vincula in Scripturis tàm corporalem quàm spiritualem significant captiuitatem. Soluere itaq; est vincula peccatorum aperire, per prædicationem remissionis peccatorum, per Christum, qui solus peccata remittit, & ex carcere educit. Id quod rectius intelligetur, si propius inspexerimus & consyderauerimus illud Prophetæ, quod ipse Dominus Iesus in Synagoga Nazarethana, apud Lucam exponit, Spiritus domini super me (inquit propheta, loquens de Christo) propterea quod vnxit me, vt euangelizem pauperibus misit me, vt sanem contritos corde, vt prædicem captiuis dimissionem, & cæcis visus recuperationem, & confractos emittam in libertatem. His iam adde quod apud Ioannem idem dixit Dominus, sicut me misit pater, sic ego mitto vos, quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Proinde filius Dei nonaliter emisit suos discipulos, quàm ipse à patre est emissus. Missus est autem filius Dei, sicut attestatus est propheta, vt euangelizet pauperibus, & prædicet captiuis dimissionem, & itaq; emissi sunt etiam Apostoli, vt Euangelizent pauperibus, & prædicent captiuis dimissionem. Quod cum faciunt, per claues aperiunt cœlum, & vinctos pectati nexibus soluunt, dimittentes ipsis

Aperire & claudere. Soluere & ligare.

Vincula.

Luc. 4.

Ioan. 20.

ipsis peccata, id est, per euangelium attestantes, fide per Christum, ipsis esse remissa peccata. Neq; enim apostoli aliter remittunt peccata, quam per obtestationem euangelicam, attestantem solum Christum per suum meritum condonare peccata. Nam sicut apostoli non sunt missi, vt seipsos offerant in sacrificium pro expiatione totius mundi, sicut filius est missus, cuius solius sacrificium vnicum expiat peccata vniuersi mundi: ita sanè missi non sunt apostoli, vt potestate propria, sicut Christus, condonent peccata, sed attestentur fide per Christum esse condonata. Diligenter enim & religiosè in his est obseruanda Synekdocha, vt singulis suum illud tribuamus, & non impiè gloriam soli filio Dei debitam, seruulis attribuamus. Augustinus certè religiosè in his versans, significanter dicit Christum hæc operari per potentiam, discipulos verò quæ agunt, facere per ministerium vel ministerialiter. De quo mox plura sequentur. Sed & Marcus & Lucas eandem tractantes historiam, quam Ioannes attigit, cap. 20. nihil aliud testantur discipulis in illo Christi colloquio in die resurrectionis habito, concreditum, quàm prædicandi euangelij officium. Nam apud Marcum dicit dominus, ite in orbem vniuersum, & prædicate euangelium: & apud Lucam vero idem dicit, sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, & proinde collatis his scripturæ locis omnibus, manifestissimum & indubitatum sit, Claues Petro & alijs apostolis datas, aliud nihil esse, quàm ministeriũ prædicationis euangelicæ, quo, mundo aperitur via in cœlum, quo deniq; anunciatur credentibus certissima absolutio & remissio peccatorum, per fidem in Christum. Quo etiã pertinere videtur hæc Domini Dei cum Paulo loquentis

Mar. 16.

Luc. 24.

Act. 26.

elegantissima, & huc appositissima sententia. Ego te testẽ & ministrum (en testem ait & ministrum) constituam, & mittam te ad populos & gentes, vt aperias oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorũ, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidẽ, quæ est erga me. Habes in his verbis exactissimam clauium regni cœlorum descriptionem. Quibus plura addere supervacaneum esse arbitror.

Quomodo apostoli aperuerint & clauserint cœlum, soluerint & ligarint.

Quod si his omnibus practicam, quam vocant, adieceris, & diligenter perquisitaueris, quomodo apostoli clauibus sibi traditis sint vsi, & quomodo hominibus aperuerint vel clauserint cœlum, quomodo item eos vel soluerint, vel ligarint, nullibi in Nouo Test. ab ipsis exercitam inuenies papisticam practicam, quod videlicet apostoli in ijs locis, ad quæ venerunt annunciatum regnum Dei & salutem consederint, hominesq; iusserint se accedere, geniculari, vel in genua adorantis ritu procumbere, cõfiteri, id est, omnia cogitata dicta, & facta per omnes circumstantias in aurem, vel sinum effundere sedentis confessionarij, ab ipso absolutionem peccatorum, cum iniunctione satisfactionis, petere: illum vero impositis in caput consitentis manibus, absolutionem peccatorum concepta formula immurmurasse, & certam iniunxisse satisfactionem per opera pœnitentiæ. Multò minus inuenies, apostolos consedisse pro tribunali, & per excommunicationis sentẽtiam, ad tartara vsq; detrusisse peccatores &c. Quid ergo? Inspice imò percurre librum Actuum apostolorum, in quo Lucas celebria dicta & facta apostolorũ, Pauli maximè, diligentissimè descripsit, neq; quicquam quod salutare & cognitu necessarium fuit, omisit, adde & per cap. 28. totidem etiam annos, id est, quæ per annos 28. apostoli e-

Acta apostolorum.

gerunt

gerunt in salutis negotio, prosequutus est, nec inuenies in toto illo opere, aliud, quàm quod omnes apostoli & singuli, concorditer, & constãter omnibus & singulis in locis annunciarunt euangelium, promiseruntq; credentibus in Christum, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Rursus verò incredulis interminati sunt exitium perpetuum & certissimum. Sic inquam apostoli vsi sunt acceptis à Domino clauibus. Sic illi soluerunt & ligarunt. Non dissimulassent intra 28. annos prædicationis sua, actuumq; suorum, à Luca fidelissimè scriptorum, si aliud aut amplius aliquid voluissent in ecclesia à suis fieri successoribus. Legantur autem inter alia Actuum apostolorum capita 2. 10. 13. 16. 18. & testabuntur pij, verissima esse quæ hic dixi, imò & sibi in hoc negocio factum esse satis. Loquor autem de minimè contentiosis: contentiosis nemo facilè satisfecerit, atq; in præsenti his quoq; dico, Paulus dixit, Si quis videtur contentiosus esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ Dei. 1. Cor. 11.

Quod autem aduersarij hanc singularem, Tibi dabo, tibi inquam Petro, Tibi, non vobis, dabo, claues regni cœlorum, vrgent & vrgendo clamant, me palàm corrupisse hunc euangelij locum, communicando claues, Petro tantũ datas, etiam alijs apostolis, eorumq; successoribus omnibus verbi ministris, stultitiam suam crassam, pariter & malitiam inuictam produnt: Quando negare non possunt Synekdochas huiusmodi talibusq; in negocijs esse vsitatiss. in scripturis. Deinde cum satis constet quid sint claues, & quod reliqui apostoli, perinde vt Petrus acceperint easdẽ, quid ore sua singulari probabunt? Interrogent autem patres suos, cur, cum omnibus parem, vel eãdem dederit potestatem Dominus, singulariter tamen nihilominus dixerit ad Petrum, Tibi dabo: & intelligent ea re vnita- Tibi dabo claues.

tem ecclesia esse denotatam expressamq;. Certè Augustinus Tractatu in Ioan. 118. Cum omnes essent interrogati, inquit, solus Petrus respondit, Tu es Christus filius Dei viui. Et ei dicitur, Tibi dabo claues, tanq; ligandi & soluendi solus acceperit potestatem: Cum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanq; personam gerens vnitatis, acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus. Eadem idem repetit Tract. in Ioan. 124. & Tract. 50. Petrus inquit, quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. Eadem tradit & beatus martyr Cyprianus in opusculo De simplicitate Cleric. Præterea si demus Petro hic aliquid datum singulariter, quid hoc ad Papam Romanum? Nondum hic probauit se esse Petri successorem & hæredem. Inueniet in suis Decretis, in Hieronymi & Chrisost. sententijs, Distinct. 40. quod ipsi facessat negocium aurem vellicet ipsumq; retundat. Nec qui dicit claues in Petro datas esse ecclesiæ, approbat Romanenses nugas.

Exponitur mysterium armorum, insigniumq; Romanorum Pontificum, in clypeis suis ostentantium, cum duabus clauibus triplicatam coronam.

PRius hinc soluam, obiter & breuiter exponam, quæ propriè videntur pertinere ad claues, non quidem regni cœlorum, sed ad eas, quas sibi sumunt Romani Pontifices, eaq; in suis insignijs, in clypeo inquam & galea, vt vocant, passim pictis & sculptis, adeoq; & Bullis suis omnibus præfixis, ostentant. Armis enim insignibusq; illis suis, pro more & institutis clypeorum galearumq;, adumbrant, & cogno-

cognoscendam præferunt omnibus, plenitudinem suæ potestatis. Nam clypeus quidem insigne habet familiæ Pontificis, iam in sede sedentis. Supra clypeum trãsuersim conspiciuntur duæ claues, ita collocatæ, vt loco galeæ, & cristarum, coronam vel tiaram triplicem, quam ipsimet, interprete Augustino Steucho, regnum vocant, præferant, aut clypeo clauibusq́, habeant impositam. Tiara interim de se fundit fasciolas, quales appensas habent infulæ episcoporum. Et hæc quidem omnia pro arte heraldica, apostolis primisq́, Romanæ ecclesiæ episcopis penitus incognita, sunt significatiua, prædicantia potentiam vel potestatem huius regis, regniq́, omnium maximam. Clypeus Papæ

Galea & cristæ

Clypeus ipse qui insigne familiæ Pontificis exhibet, ostendit regnum regniq́, potentiam ad eum pertinere cuius sunt illa insignia, & qui iam in ipsa sede residet. Claues vero duæ transuersim superimpositæ clypeo, significant, quemadmodum & duo gladij, iuxta illorum hieroglyphica, immensam illam potestatem extendentem, se antrorsum & retrorsum per vniuersam terram, attollentemq́, se supra ipsas quoq́ nubes, in cœlum vsq́. Interim voluit diuina bonitas huiusmodi fatalibus insignijs, docere sapientes, quis & qualis nam sit hic princeps, ille nimirum de quo scripsit beatus Ioan. Apostolus in sua Apocalypsi, dicendo, & vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habentem cornua duo, similia agni. Cæterum cornua illa duo sunt Sacerdotium, & regnum. Vtraq́, illa Christi domini sunt, qui est & manet solus rex & sacerdos in æternum. Hic enim est agnus ille Dei. Significanter ergo dicitur cornua illa, quæ sibi sumit bestia, non esse agni. Agnus enim sua retinet, neminiq́, communicat, sed similia agni. Vult enim Pontifex credi ab omnibus, a Christo, per Petrum, se accepisse potestatem parem, sacer-

dotium ſcilicet & regnum, & ita loquuntur in ſuis illis tyrannicis decretalibus, quod tamen ipſimet confinxerũt, neq; quicquam tale à Chriſto, vel Petro acceperunt.

Corona triplicata Papæ.

Iam verò Regnum vel corona faſcias habet dependentes, & quidem epiſcopales, circumfuſas, corymborum inſtar, clanibus reflexaſq; ad latera regni, ea re ſignificãtes, principem hunc non vulgarem eſſe principem, ſed principem & ſacerdotem. Sed & Corona quam hic gerit ſacerdotalis rex princeps & imperator, non eſt ſimplex & vna, ſed triplicata, qualem nulli vnquam monarchæ quantumuis potentes, geſtaſſe leguntur. Neq; hodie vlli viuũt principes qui eiuſmodi vtantur corona. Atq; his ingens ineſſe myſteriũ, quis obſecro dubitet, niſi qui neſciat omnia iſtorũ hominũ ceu hieroglyphica turgere myſterijs? Significat itaq; corona illa triplicata, eũ qui eã geſtat, dominorũ eſſe dominũ, & regẽ regum, imò illum vnicum eſſe principẽ in terris, qui poteſtatẽ habeat in terris, in cœlis, & in purgatorio ſub terra, quin imò qui rex ſit cœli, terræ, atq; infortunatarũ inſularũ, vel terræ nuper repertæ, purgatorij. Et Corona quidẽ hæc non eſt vilior aliorũ regũ coronis, ſed multò præſtantior, mirifica arte, & gẽmis rebuſq; præcioſiſſimis contexta, ornata, atq; redemita, vt vel ea re ſignificaret ſuam illam poteſtatem nullam penitus habere parem in mundo, ſed modis omnibus antecellere omnes. Rurſus vero Dei bonitate factum eſt, quod nullus principum in mũdo talem geris coronam, ſed ſolus Pontifex Roman. Ita enim Deus hac veluti nota ſingulari, voluit patefacere hunc principem triplici corona redimitum, illum ipſum eſſe, quem Daniel in cap. 7. vocat cornu paruulum. Vere enim cornu paruulum eſt epiſcopus & Paſtor, quem humilitas ornat, & cui diuinitus prohibita eſt dominatio. Oritur hoc paruulum corniculum in-

ter

ter decem cornua. Diuisa enim dilapsaq; Romana monarchia bestia vetere, eorum exile & cõtemptum emersit medium inter alia, & ex his tria elisit cornua. Qua quidem re potentiam sibi comparauit. Etenim Pontifices Romani tres principes ab initio originis sua oppresserunt. Gregorius enim, eius nominis 2. Leonem, 3. Imp. Constantinopolitanum ex his tribus cornibus vnum euulsit, dum Exarchũ eius per tumultũ Rauenna interfici curauit, & Imp. Italia eiecit. Deinde Zacharias Pont. Childerychũ Francorum regem impulit in ruinam, dũ suasit Pipinũ Childerycho deiecto, in regnum esse euehendum. Sic vero alterum cornu à corniculo paruo præcipitatum est. Cornu verò tertium, ipsi Reges Longobardorum, incentoribus Papis, humiliati, demum etiam prorsus sunt deleti, per Frãcorum reges Pipinũ atq; Carolum. At ex interitu oppressioneq; horum regum creuerunt opes, inualuit & potentia Romanorum Pontificum, quos veros esse Antichristos hac triplicata corona, ceu digito, ostẽdere voluit dominus. Hactenus vero de clauibus, armis, insignijsq; Romanorũ Pontificum. Redeo iam in viam.

De potestate & ministerio, concluditur q; de clauibus disputatio.

OFfendit plurimos, sat scio, & hoc in hac disputatione plurimum, quod rarius vtor potestatis, frequentius autem ministerij vocabulo, cum interim scriptura palàm ministris potestatem tribuat, vulgoq; dicatur, clauium potestas. At quantulum hoc est obsecro, collatum ad plenitudinem potestatis, quam isti sibi arrogãt palàm? Fateor quidem in scripturis administrationem ecclesiæ, aut si mauis clauium, dici potestatem, di-

cente in Euangelio domino: Sicut homo qui peregrè profectus, reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem &c. Sed quis hic nesciat potestatem illam aliam non esse, quàm seruilem vel ministerialem: præsertim cum apud alium Euangelistam potestas illa, qualis sit, significantius explicetur, his verbis, vt det, ait dominus, familiæ cibum in tempore. Id quod nemo nisi impudentiss. detorserit ad plenitudinis potestatem. Loquitur enim Dominus manifestè de prædicatione Euangelij, per quam cibus familiæ, ecclesiæ inquam Dei, proponitur. Et Paulus ad Corinthios, dum prædicationem Euangelij vocasset sermonem reconciliationis, mox se explicans subijcit, sibi datum esse ministerium (en ministerium vocat quod iam appellarat sermonem) reconciliationis. Et subijcit iterum, Christum per ipsos ministros hortari homines, vt reconcilientur Deo. Quam oro in his fidelis minister sibi potestatem vendicabit? Rectè itaq; monent alij, aliam quidē esse potestatem iuris, aliam ministerij. Iuris potestas ea est, qua quis, vt dominus, in res proprias potestatem habet, suo non alieno iuri subiectas. Sic potestatem in ecclesiā habet dominus, qui in Euangelio dicit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Sic antea dictum est Christū habere clauem Dauidis, mortis & inferni. Hæc potestas nulli communicatur creaturæ, sed manet soli Deo. Nisi ergo perfidi esse velint ministri, hanc minimè sibi vsurpabunt. Ministerialis verò vel officij potestas ea est, quæ cum certa determinatione, non plena, commissa est à domino ministris. Hi enim faciunt, non quod volūt, & quasi domini rerum, sed quod iussit eorum Dominus, atq; eo duntaxat modo, quo res ipsas obeundas præscriptione certa eis determinauit, infideles serui futuri, si non hoc fecerint, aut aliter quàm iussi fuerāt à Domino suo, fecerint.

2. Cor. 5.

Potestas iuris & ministerij.

Matth. 28.

Sic

Sic vtiq; potestatem Clauium ministerialem in ecclesia habet minister Christi, vt Euangelium ecclesiæ prædicet, eoq; modo prædicet, quo à Domino prædicare iussus est: quin imò perfidus & infidelis Domino seruus futurus, si aliam sibi potestatem, adeoq; plenitudinem potestatis confingat, & Euangelium non prædicet, vel aliter quàm ei præscriptum est prædicet.

Præterea non ignoro, apostolis à Christo potestatem esse datam magnam, sed & ipsam limitatã, & pro initio & ad certum tempus, attestante Matthæo, & dicente: Et dedit discipulis suis duodecim potestatẽ aduersus spiritus immundos, vt eijcerent eos, & sanarent quemuis morbum & languorem. Neq; enim arbitror quenq; affirmaturum, eam potestatem, vnà cum clauibus, datam esse omnibus ecclesiæ ministris. Cum sciamus, satis iam confirmato Euangelio per huiusmodi signa, non amplius vulgaria vsurpataq;, sicut & facultatem, vsumq; variarum linguarum, esse reliqua in Ecclesia. Vtcunq; verò ea potestas miraculosa habeat, certissimum est Apostolum Paulum, de omni potestate sibi à Domino tradita, dixisse, eam sibi datam ad ædificationem, nõ ad destructionem. Quod nisi quilibet minister apud se diligentissimè perpenderit, nõ modo frustra, sed maximo suo malo, de potestate sibi data disputauerit, multoq; periculosius eam sibi arrogauerit.

Apostolis data potestas. Matth. 10

2. Cor. 10.

Et hactenus de clauibus, qua potui breuitate, & perspicuitate disserui: ex quibus intelligere posse confido eos, qui oculos suos malitia nõ comprimũt, Claues longè aliud esse, quàm quod nobis Papistæ proferunt, non vtiq; plenã potestatẽ in terrestria & cœlestia, sed salutare verbi Dei, vel Euangelij Iesu Christi ministerium, ipsiusq; ecclesiæ Dei curam & administrationem. Ideoq; cum Dominus

Summa disputationis de clauibus.

dixit: Et dabo tibi claues regni cœlorum, non dediſſe Petro & Rom. idolo immenſam potentiam, quam vocãt plenitudinem poteſtatis. Nam cum promiſit, & dedit claues Dominus, claues non regni terreni dedit, ſed regni cœlorum. Id quod in hac diſputatione imprimis eſt obſeruandum. Atq; in hoc regno, & in hac ſua Eccleſia, Chriſtus Dominus eſt, & manet rex põtifex, & caput ſupremum, & quidem abſq; conſorte & vicario, ſolus. Legati verò eius miſſi ad ſuam eccleſiam ſunt præsbyteri, rectores, miniſtriq; eccleſiarum. Membra huius eccleſiæ, & huius regni ſubditi, ſunt fideles. Chriſti autem regis pontificis & capitis propria eſt, manetq; omnis poteſtas, nec deriuatur ad vllum alium. Ipſe enim portat adhuc portabitq; in finem vſq;, in humeris ſuis, clauem Dauidis, aperietq; & nemo claudet, claudet & nemo aperiet, ipſe ſoluit ligatq; ſolus. Legati verò eius vel prædicatores, ad colligendam eccleſiam miſſi & ordinati, prædicant hunc Chriſtum Dominum, affirmantes prædicatione Euangelij, Chriſtum certò credentibus remittere peccata, & conferre vitam æternam, incredulos verò & contradicentes Euangelio, æterna morte condemnare. Illi ipſi miniſtri collectam Chriſto eccleſiam, verbo Dei paſcunt, puſillanimes conſolantur, ceſſantes inſtigant & vrgent, fluctuantes confirmant, ad preces aſſiduas, ad legitimum ſacramentorum vſum, & ad officia vitæ ſancta, ad charitatem, maximè & miſericordiam, omnes perpetuo adhortantur, & in omnibus & per omnia, ſumma fide & diligentia annituntur eccleſiam Chriſto ſaluam & incolumem adducere & conſeruare, qui ſanè eſt veriſſimus, & ſaluberrimus clauium regni Dei vſus, ipſa genuina & ſancta eccleſiæ Dei œconomia, cura, & adminiſtratio.

Expo-

Exponitur Ieremiæ locus, conſtitui te ſuper reges & regna &c. & oſtenditur hunc nihil facere ad comprobandam Rom. Pontif. tyrannidem, quam contra reges & regna exercet.

PErgimus vlterius, vt etiam diſpiciamus, quàm verè iactet Papa Romanus, ſe vnum ſuper omnes gentes, & ſuper omnia regna principem eſſe conſtitutum. Rurſus hic non ignoro quid iudicata & decretales, eorum maximè Pontificum, quorum nomina ſuperius recenſui, hac de re, crepent, maximoq; hiatu crucient. Verum nolumus nugas, volumus nobis oſtendi diſertis verbis domini, quod Romani Pontifices, ordinatione Chriſti, domini, non ordinatione vllorum hominum, legitime conſtituti ſint principes ſuper omnes reges & omnia regna.

Edidit ſuperioribus annis Auguſtinus Steuchus Eugubinus, ſedis Romanæ bibliothecarius, adde & epiſcopus, vir alioqui multæ lectionis, ſed interim parũ verſatus in ſacris ſcripturis, præterea & fœdiſſimus adulator Romanorum Pontificũ, librum contra Laurentium Vallam, pro donatione Cõſtantini, omnibus pijs conſpuendũ, lutulentiſq; in cœnum pedibus proculcandum. In eo ille inter alia, ſectione 15. Inprimis, inquit, ſcire conuenit, non donaſſe nominatim Conſtantinum, paucas illas vrbes, paucaq; oppida, quæ dicũtur Patrimonium eccleſiæ, ſed donaſſe vniuerſum Occidentem, & quaſi maiori principi (Papæ) ab vrbe decedentem, ceſſiſſe, ipſamq; Romam caput domiciliũq; pietatis eſſe decreuiſſe, in qua nephas eſſet præterquàm præſidem religionis imperare. Duos in vna vrbe ad quam Petrum Apoſtolorum principem, religionis caput, veniſſe nouerat, imperare nepharium iudi-

Auguſtinus Steuchus Kyſſami epiſcopus.

Conſtant Imp. Sedi Rom. donauit vniuerſum occidentem.

cabat, præcipuè, si princeps terrenus habenas vrbis teneret. Et sect. 16. Duos in eadem vrbe principes regnare, ea maximè ratione fieri non poterat, quòd res terrestres, rebus sacris dominatæ fuissent. Accidisset videlicet quod in Prouerbio est, ἄνω ποταμῶν ire retro flumina. Item sect. 90. Hæc est maiestas & excellentia, quam Petrus Romæ donauit, vt quemadmodum domina esset omnium terrarum, sic omni religioni dominaretur, omniaq; eius nutu regerentur. Rursus sect. 94. enumerat potentissima quæq; Occidentis regna, quæ omnia sint sanctæ & vniuersali (sic enim loquitur) matri ecclesiæ Romanæ subiecta, Hungariæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Portugalliæ & reliqua omnia. Et ne quid omitteret, subijcit tandem sect. 103. Quid vero plura prosequar? vt comprobem hoc argumentorum genere, vetustissimã, ac ferè omnipotentem ecclesiæ Romanæ, super omnibus regnis ac regibus potestatem, atq; eorum vetustissimam possessionem? Quandoquidem plena sunt omnium Pontificum prisca monumenta, excelsæ potestatis, qua totum terrarũ orbem imperijs moderabantur, habenas omnium terrarũ tenẽtes &c. His, quibus Papæ Romanæq; ecclesiæ vniuersa mundi regna subiecit, nondum mendax & blasphemus ille adulator exatiatus & contentus fuit, nisi & summa cum impudentia, & impietate ex Rom. Pont. homine scelerato Deum fecisset. Etenim sect. 26. dicit, fideles in Papa, ipsum Dei filium venerari, & suspicere ipsum, nõ tam mortalem hominem, quàm in ipso Deum ipsum, qui eum sibi in terris suffecerit. Rursus sect. 67. Folio. 141. Audis, ait, summum Pontificem Deum appellatũ, à Constantino habitũ pro Deo. Hoc videlicet factũ est, cũ ipsum præclaro illo edicto decorauit, adorauit vti Deum, vti Christi & Petri successorem, diuinos honores ei, quo ad eius potuit,

Omni religioni dominatur Roma.

Romanæ sedi totus mundus subiectus.

Rom. Pontifex est Deus.

con-

contulit, velut viuam Christi imaginem veneratus est. Hæc ille. Huiusmodi autem scripta blasphema, & impiissima Roma nobis dat. Quæ ideo hucusq; commemorauí, vt patefacerem omnibus, & Papæ ipsius, & familiæ eius extremam & deploratam dementiam, pariter & impietatem, qua homines prophanissimi impudentissimiq; in conspectu omnium angelorum & hominum, non verētur & diuinitatem ipsam sibi, & omnia regna mundi vsurpare, & quicquid huius in buccam venit expuere.

Fuit autem hic Steuchus etiam episcopus, nec puduit eum tamen vsq; adeo blasphema ecclesiæ scripta offerre, imò & S. Petro dedicare. Proferant autem illi nobis vel vnicum Christi, vel apostolorum verbum, nedum sententiam, quo nobis ostendant ac testentur, Christum constituisse Papam principem super reges, & regna. Nō possunt illi huius vel Iotam ex vniuerso Nouo Test. proferre. Ideoq; confugiunt ad Ieremiam. Verum huius quoq; scripta sancta suo veneno contaminant, conspurcant, atq; corrumpunt. Loquitur enim Propheta de ministerio verbi, & non de dominatu suo. Vocat enim Dominus, ordinat & mittit Ieremiam ad prædicandi munus. Disertis enim verbis dicit ad ipsum: Priusq; prodires ex vtero, sanctificaui te, & prophetam gentibus dedi te. Deinde cum Ieremias obtenderet teneram suam, inexercitatamq; ætatem & infantiam, confirmatur & cónsolatur à Domino, qui se ipsi promittit affuturum, & per os eius loquuturum. Sequitur enim in verbis Domini: Ecce ego dedi verba mea in ore tuo. Sic enim quondam & cum Mose reluctante, & vocationem domini subterfugere volente, colloquutum dominum legimus. Agitur autem verbis illis nihil planè de imperio, sed de munere prædicandi. Vnde Ieremias de docendo, non de regnando, in-

Exponitur locus Iere. cap. 1

Exo. 4.

ſtruitur. Ac ſequitur in verbis Domini: Ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, vt euellas, extirpes, perdas & ſubuertas, ædifices & plantes. Quibus verbis Dominus Ieremiæ exponit, ad quos eum mittat, & quodnam eius futurum ſit officiũ, aut quis legationis eius finis.

Officium docentis.

Mittitur ad gentes & regna, vt præco verbi diuini, nõ imponitur autem eis princeps aut rex. Sequitur enim, vt euellas &c. Id quod doctoris eſt officium, finisq; dominicæ legationis. Duplici autem ratione propheta euellit, ſubuertit, ædificat, & plantat. Principio cum populis, gentibus & regnis, verbo Domini denuntiat, Dominum qui gentes & regna plantauit, eadem propter enormia peccata, niſi reſipiſcant, extirpaturum. Etenim non ipſe Ieremias per ſe euertit aut extruxit regna, ſed Dominus ſolus. Ieremias autem Domini miniſter & præco annunciauit, ex ore vel verbo Domini, Dominum hoc facturũ. Et hunc ſenſum ſuppeditant & iuuant, quæ ſequuntur in cap. 45. Sic dicente Domino: Ecce quæ ego ædificaui, deſtruo, & quæ plantaui, ego euello. Et iterum ca. 42. Ædificabo vos & non deſtruam, plãtabo vos & non euellam. Deinde euellere & plantare pertinet ad agriculturam, ſicut ædificare, & ſubuertere ad architecturam. Inde iam ſermone allegorico informatur propheta, quid faciat, & quis eius legationis ſit finis. Sicut agricolæ & architecti primum agrum parant vomereq; reſcindunt, deinde ſemina ſulcis mũdant, vel ruinoſa ædificia primum demoliuntur, & aream purgant, deinde in ipſam ædificant: Ita prophetæ officium eſt, primum quidem praua dogmata, idololatriam & quacunq; contra Deum erecta ſunt, verbo Dei confutare vel euertere & extirpare, deinde verò in locum extirpatorum ſanam doctrinam, verum Dei cultum omnemq; pietatem reponere, denique omni cura domini-

minicum agrũ, diuinumq; ædificium excolere atq; exornare. Illustrabuntur hæc amplius, si cum his cõtuleris & verba ipsius Domini apud Matthæum ca. 13. & 15. & ipsius apostoli Pauli 1. ad Corinth. ca. 3. & in 2. cap. 10. Rursus itaq; dilucidis, genuina, & orthodoxa interpretatione huius loci Ieremiæ, euicimus, Papam, per illam suã Bullam, impiè & nephariè Domino Deo, sua corrupisse & interuertisse verba, & ad suum detorsisse dominium, imò ad suam tyrannidem, quam Dominus neq; hic, neq; vllibi vsq; in verbo suo instituit, aut defendit.

Quod si non dum pudet eos suæ nephariæ huius loci prophetici detorsionis, & corruptelæ, dicant illi nobis, qualem principatum in primaria gentis Iudeæ vrbe Hierosolymorum gesserit Ieremias, aut cui nam genti vel regno sit dominatus. Vixit à morte Iosiæ regis sub impijs regibus, Ioachaz, Ioachim, Iechonia & Zedechia. Nepharia horum principum facta, & in historia sacra, & in ipso Ieremiæ libro describuntur. Dicant iam illi nobis, quomodo Ieremias, virtute horum Domini verborum: constitui te hodie super gentes & regna &c. extirparit aut plantarit, & quem nam ex his regibus prophanis euulserit excommunicaritq;? aut vbinam docuerit, propter impietatem regum istorum, populum his nullam debere obedientiam præstare? Dicant illi nobis vbi vel quando absoluerint regni proceres, & ipsum populum, à iuramento regibus illis, aut etiam ipsi Nabuchodonosori regi ethnico, præstito? Quemue Ieremias ex his regibus, ex solio deiecerit, ac deinceps alium, pro sua libidine, in solium euexerit? Dicite, dicite inquam: Cur sic obmutescitis? Quia nullis scripturis, quod assumitis vobis, vnquam probare potestis. Nam veritas manifestè testatur Ieremiam humilem fuisse Domini Dei seruum, paupcrem

miniſtrum, & fidelem interim Domini Dei prophetam, miſerèq; à regibus illis vexatum, captum, & afflictum: in quos tamẽ adeo nullum ſtrinxerit gladium, vt in ciuilibus omnibus illis ſponte obediuerit, & vniuerſum populum vnà cum proceribus ipſis obedire docuerit, deniq; ipſos prò dominis ſuis agnouerit, & reueritus ſit. Increpauit quidem acriter nepharia regum iſtorum ſcelera, & iudicia Dei grauia, non tam ipſis, quàm ſacerdotibus, & vniuerſo populo annunciauit, eo prorſus modo, quo à Domino hæc fuerat facere iuſſus. Sed interim nullas turbas in regno commouit, imò perſequutiones eorum patienter ſuſtinuit, & pro eorum ſalute ſedulo orauit. Quid quod idẽ hic propheta, ipſum Dei populum diligenter & ſolicitè docuit parere ipſis Babyloniorum regibus, Nabuchodonoſori, Euilmerodacho & Baltazari? Sicut & Ezechiel grauiſſimè Zedechiam accuſat, quòd perfidus, fidem Nabuchodonoſori datam, violaſſet. Proinde non eſt, quod Rom. Pont. Ieremiæ verbis ſuam velit fucare tyrannidem, cum verba Ieremiæ ipſum oppugnent, & exemplum Ieremiæ, ille nulla parte referat.

Rom. Pontificem contra exemplum apertum, & mandatum Chriſti Domini expreſſum, ſibi vſurpare principatum in reges, & populos.

QVin imò, vt adhuc clarius appareat omnibus, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, adeo nec Petrum, nec alios ſuos apoſtolos, principes in eccleſia, ſuper reges & regna conſtituiſſe, vt nunc domini ipſius clarum exemplum, & doctrinam vel mandatum eius expreſſum, tyrannidi Papæ iniuriæq; oppone-

re

re queam, & quasi digito demonstrare, summa cum iniuria & impietate, Papam sibi in ecclesia vsurpare imperium, in reges & regna. Copiosissima est alioqui hac in scripturis sanctis materia, ego verò, quoad eius fieri potest, velut compendio illa complectar. Igitur quanquam dominus noster Iesus Christus, ab ipso patre suo omnipotente, rex & sacerdos in regno suo constitutus esset, ac manifestè se regem esse profiteretur, temporalium tamē mundanarumq; rerum gubernatione abiecta, sola suscepit curanda spiritualia. Iccirco cum à Pilato interrogaretur, rex ne Israëlis esset? non abnuit se regem esse, verum adiecit explicationem, & mansuete dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Vnde alibi quoq; in euangelio dixit, se non venisse vt sibi seruiretur (nimirum vt Principi mundano) sed vt ipse seruiret vel ministraret, daretq; animam suam pro redemptione multitudinis vniuersæ. Eam ob rem patitæ hæreditatis iudicium vel diuisionem, penitus recusans, à se, ad legitimos iudices, reiecit, non citra stomachum, dicens, homo, quis me constituit iudicem vel diuisorem vobis? Iccirco quando turbæ illum instituissent creare regem temporalem, fugit, & fuga illa sua commōstrauit, regnum mundanum à suis illis ministris, in ecclesia ambiri non debere, nedum gubernari aut quoquo modo postulari, imò nec oblatum recipi aut vsurpari. Quid quod non solum Cæsari, quæ Cæsaris erant danda præcepit, sed insuper dum ab ipso tributum, magistratui pendi solitum, exigeretur, staterem ex ore piscis exemptum, ne offendiculo alijs esset, persolui iussit. Toto deniq; triennio, quo munus suum à patre cœlesti ipsi concreditum fidelissimè obiuit, omniaq; sibi commissa plenissimè adimpleuit, nullam vnquam significationem, ne minimam quidem, dedit vllius principatus, aut dominij mundani. Exemplo

Exemplum Christi opponitur Rom. Pont.

Luc. 12.

Ioan. 6.

Matth. 2.

Matth. 17.

Doctrina Christi contra dominandi cupiditatem.

huic domini sancto & humilimo, accedit iam etiam doctrina eius modestissima. Cum enim discipulos suos ambitione captos abreptosq; cognouisset, totos flagrare dominandi cupiditate, & de primatu vel prælatura, aut, vt Romani loquuntur Pontifices, de maioritate, contendere (fuit certe hoc malum tenacissimè ambitiosi vtcunq; obmaxij, sinh æret, quod vel in ipsis apparet Romanensibus) seuerissimè illos obiurgauit, & à dominandi cupiditate illa abstraxit, humilitatem verò inculcauit, simul & magistratui ordinato à Deo, suum ius vendicauit, & ministerium verbi, absq; omni dominatus vel specie vel mentione, sui commendauit.

Exponitur locus Matthæi 18.

Ergo cum apud Matthæum in 17. Cap. Petrus staterem pro domino, & pro se soluisset, didrachma exigentibus, & ea re discipulis reliquis suspitionem iniecisset, quasi Petrus cæteris omnibus esset præficiendus, & primas in regno cælorum, vel in administranda ecclesia, inter ipsos futurus; inter se ea de re disceptare cæperunt, nimirum quilibet eorum, pro infirmitate humana, ad dominij supremum illum gradum aspirante. Quid verò dixit & fecit in illa suarum cæcitatione dominus? accersitum ad se puerum statuit in medio illorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnū cælorū. Quisquis igitur demiserit semetipsum, sicut puer iste, hic est maximus in regno cælorū. Quod perinde est, ac si dixisset eis dominus, cōtēditis de prælatura, quis ex vobis omniū maximus sit saluzandus. Ego verò pro certissimo vobis edico, nisi ab huiusmodi ambitiosis, fastumq; & pompā spirātibus disputationibus, mentes vestras auerteritis, & in humilitate ad me meumq; exemplum, adeoq; ad huius, quē hic videtis, puelli, simplicitatem fueritis conuersi, adeo in regno illo

meo

meo magni & illustres non eritis, vt ne quidem vos pro meis habiturus sim discipulis. Verissimè autem S. Chrysostom. Homilia in Matth. 59. Paruuli, inquit, nõ inuidere, nec inanem expectare gloriã, nec dignitatem primatus desyderare nouerunt, nec si laudantur aut honorantur, vlla cõmouentur arrogantia &c. Quid ergo ad quæstionẽ discipulorũ respondet dominus? Qui, inquit, puero assimulatus fuerit, positis prauis affectibus, ambitione, & dominãdi cupiditate imprimis, hic sanè maximus est in regno cœlorũ. Vbi iterũ dicit Chrysost: vides quomodo edocuit nullã in re primatus dignitatẽ expendã. Et reliqua.

Rursus cum apud Matthæum in cap. 20. mater filiorũ Zebedai venisset ad Dominum, cum suis filijs, Iacobo & Ioanne, postulassetq; his primum locum & supremam in regno potestatem, vt eos proximè se collocaret, ad dextram atq; sinistram (nam qui proximè regis latera sedendo stipant & claudunt, hi in regno habentur primates, vt hodie illi nuncupantur Legati à latere, qui cum plena potestate Roma mittuntur à Pontifice) obliti eorum discipuli, quæ antea eos docuerat dominus, iterum suspicantur duos illos fratres, ipsis omnibus esse præferendos. Quo nomine illis inuidẽtes, indignari, & iterum inter se de primatu concertare cœperunt. Iccirco aduocatis ipsis ad se Dominus, scitis, inquit, quod principes gentium dominẽtur illis: & qui magni sunt, potestatem in eos exerceant. Non ita erit inter vos: sed quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus. Sicut filius hominis venit, nõ vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret, vtq; daret animam suam redemptionem pro multis. Pulcherrimè & significantiss. his dominus secreuit à politica potestate, ministeriũ ecclesiasticum: & iustè quod magistratus est

Exponitur locus Matthæi. 20.

magistratui vindicat tribuitq3, nihil ei derogans aut auferens, & ad se suosq3 transferens, & ministris quid & ipsi faciant ostendit, scitis inquit, constitutos esse in populis & inter gentes magistratus vel principes, vt non necesse sit vos quoq3 præfici populis. Non descendam cum Romanis in pugnam, pulsisq3 ipsorũ præfectis & tetrarchis, vos in deiectorum substituã locũ (quod tamen gens Iudaica credebat Christum facturũ, atq3 ideo cum eorum expectationi non responderet, pro Messia non agnouerũt.) Principibus diuinitus data est potestas. Vnde intelligitis, nos nulla de causa inter nos concertare de principatu. Nam cernitis eos, qui iam in magistratu sunt, in sua illa functione permansuros. Hæc dixit dominus de politica gubernatione. Sequitur porrò & de ecclesiastico ministerio. Non erit ita inter vos. Etenim non elegi vos, vt constituerem terrarum principes, sed ministros potius ecclesiarum, non proceres inquam, sed prædicatores, qui verbũ euangelij annuncient, & sancto vitæ exemplo præluceãt populis. Nolo itaq3 vt de capescendo imperio cogitetis, regnareq3 instar principum huius seculi cupiatis, non erit ita inter vos. Sed quia ambitiosa superbia huc discipulos impulerat, hic quoq3, vt & superius, humilitatẽ eis commendans, dicit. Quicunq3 voluerit inter vos magnus fieri &c. Nec est quod in præsentiarum Romanenses suum illum titulũ Seruus seruorum Dei, quo Papa vtitur, nobis obiendant. Nam titulus ille mendacium est titulus, & humilitas istorum est ficta, vel hypocritica humilitas. Nã ipsa experientia multorum seculorum testatur, quod isto hominum genere, in vniuerso mundo, nemo sit seruitutis impatientior. Seu & adorari volunt pro summis, & regum regibus. Aut si serio sunt serui seruorum Dei, cur ipsis etiam Dei principibus pedes ad oscula obijciunt?

Seruus seruorum Dei.

Ac

Ac Dominus præcepto illo suo suum adiungit exemplũ, quo eos permoueat euidentius. Sicut filius hominis venit, non vt sibi ministraretur &c. Illustris est illa sententia. Perinde enim est, ac si dixisset: Quod si ego qui Dominus vester sum, viuus item viui Dei filius & rex regum, non ambio, neq; mihi vẽdico vllum in terris mundanum imperium, vtpote qui veni in terras omnium commodis, etiam vitæ meæ dispendio, inseruiturus: suppudere profectò vos debuerat, quod qui miseri estis mortales, & nihil aliud quàm serui, interim tamen ad imperium aspirare non vereamini. Hæc hæc ceu fulmina horrenda, non tantum concutiunt, sed funditus etiam euertunt sedem illam Rom. Pontificum, quam prætextu Petri, & concessæ dominationis potestatisq; immensæ à Domino acceptæ, super omnium regum thronos audacissimè, impudentissimeq; exaltarunt. Porrò cum hæc seriò admodum & tam disertè semel & iterum fuissent à Domino exposita discipulis, vt significantius exponi non potuissent, ambitio tamẽ prærogatiuæq; cupiditas, tam altas in animis discipulorum pro humanæ naturæ corruptione radices egerat, vt cum in vltima Cœna intellexissent Dominum omnino migraturum ex hoc sæculo, illi iam omnium maxime de primatu & maioritate, apud Lucam in cap. 22. contendere pergerent, nempe discedente Domino & iam in cœlos recepto, quis tunc in terris, & in ecclesia futurus sit primas, omnibus alijs prælatus? Dominus verò non pro merito ipsorum asperè inuehitur in discipulos, & abijcit illos, quod post tam claram institutionem dominijq; confutationem, eundem errorem nunc tertio renouatum, repetendo ingererent: Sed medicatur illorum, simul & omnium in ecclesia, eodem vitio laborantium, morbo. Ac principio quidem repetit argumentum illud, quod antea

Exponitur locus Luc. cap 22

quoq; apud Matthæum in 20. cap. eis opposuerat, dicens, Non est quòd contendatis pro primatu. Principes enim qui nunc dominantur in orbe, per me nec nunc deijciuntur, nec deijcientur postea. Manet enim Magistratus in suo loco & sua dignitate. Hic regnabit, vos non ita regnabitis. Obiter quoq; & in transcursu adumbrat officium principum, dicens. Et qui potestatem habent in eas, vocantur (εὐεργέται) benefici. Id est, in hoc sunt à Deo ordinati, vt subditis benefaciant. Etenim & apostolus, Magistratus, inquit, Dei minister est, tibi in bonum. Nã principes non sunt terrori benè agentibus, sed malè. Quid autem significantius, & validius in hac causa dici potuisset, quàm quod dictum est, imò secundo iam repetitum, Vos autem non sic? Addit mox institutionem quomodo ministri se in munere ecclesiastico gerant, Qui maior est inter vos, æqualis fiat iuniori. Id est: Qui locum in ecclesia celebriorem est assequutus, & varijs donis tum & singulari authoritate ex senio rerumq; experientia ornatus, ne se propter singularia illa dona efferat, sed sapiat humiliter, instar iuuenis alicuius inexperti, & rudis adhuc in tanto munere. Item, qui princeps est (ὁ ἡγούμενος) id est, dux vel rector aut gubernator, is sciat se nõ assequutum principatum, sed ministerium, proinde ita se gerat vt decet ministrum.

Rom. 13.

Adijcit his alias quoq; rationes, quibus demonstret ad oculum, viros apostolicos non ad regnandum, sed ad ministrandum esse vocatos. Maior est excellentia, inquit, accumbentis, quàm ministrantis accumbenti. Ecclesia autem inuitata a Domino ad epulas spirituales, accumbit. Vos verò administratis cibum illum spiritualem ecclesiæ accumbenti. Ecclesia itaq; veluti domina est, vos autem huius dominæ estis ministri, non domini eius, & multò

minus

minus in eccleſia hac principes. His iterum ſuum adiungit exemplum, Ego, in medio veſtrum ſum, inquit, vt qui miniſtrat. Cum itaq; ego Dominus ſim, & nihilominus tamen miniſtrem, pudeat vos, qui ſerui eſtis, cogitare de dominio in eccleſia, cum quotidie obuerſetur oculis veſtris, humilimum meum exemplum, alieniſſimum ab omni dominandi cupiditate. His inſuper & hoc ſubijcit: Mirum profectò eſt, quod inter vos contenditis de dominio, cum ego hactenus multis, & varijs fuerim ſubiectus afflictionibus. Id quod vos ipſi poteritis teſtari, ad quos etiam aliqua pars tentationum afflictionumq; mearum redundarit. Vnde ſanè rectius de cruce perferenda & patientia, quàm de dominio vel maioritate inter vos conferretis. Subiungit tamen his iterum conſolationem, ne ad mentionem afflictionum deſponderent animum. Proinde ſermonem attexit de diuinis præmijs, ijs qui vicerint in afflictionibus, in æterna patria, liberaliter diſtribuendis: à corporalibus attollens dicendi genus ad ſpiritualia atq; cœleſtia.

Attamen poſt hæc omnia, quod ſanè mirum videri queat vniuerſo mundo, audent diſcipuli poſt tertiam admonitionem fideliſſimam clariſſimamq; inſtitutionem, mox ab ipſa Domini Reſurrectione, & in ipſo aſcenſionis eius in cœlum puncto, mẽtionem facere regni, adeoq; Domino ingerere rurſus ſuam illã dominandi cupiditatem, dicendo: Nunquid in tempore hoc, priusq; videlicet à nobis diſceſſeris in cœlum, reſtitues hic regnum Iſraëli? Ad quam quæſtionem miſericors Dominus, ſupportans ſuorum infirmitatem, rurſus manſuetè reſpondens, iubet eos agendi oportunitatem reſignare Deo patri. Interim quid ipſi faciant, & quid ab ipſis requirat, iterum repetit atq; inculcat, dicens: Accipietis virtutem, poſteaq; in vos de-

Exponitur locus Acto. 1.

ſcenderit ſpiritus: & eritis mihi teſtes, non ſolum Hieroſolymis, ſed & ad extrema vſq; terræ. Quod quid aliud eſt, quàm ſi dixiſſet: Spiritu ſancto doctore intelligetis quale ſit futurum regnum meũ, ſpirituale vtiq; non mundanum, in quo ego rex ſedebo regnaboq; princeps ſũmus & vnicus. Vos vero in hoc meo regno, in ipſa ſanctorum eccleſia, eritis teſtes non reges, prædicatores non principes. Nam per prædicationem euangelij colligetis mihi eccleſiam ex vniuerſo mundo &c.

Hæc inquam eſt doctrina Chriſti de primatu & regno, tum & de miniſterio in eccleſia Chriſti, ipſo illuſtrior ſole. Vnde etiam luce clarius elucet Rom. Pont. contra exemplum & doctrinam Chriſti, non ex humili ſpiritu Chriſti, ſed ex ſuperbo Luciferi ſpiritu, ſibi vſurpare in eccleſia imperium, iactareq; ſe vnum principem eſſe conſtitutum ſuper reges & regna.

Nec ipſos Chriſti apoſtolos ſibi vllum in eccleſia Chriſti principatum, ſed miniſterium tantum vſurpaſſe.

Apoſtoli non dominium appetiuerunt, ſed principibus omnem honorem deferre docuerunt.

ACcepto autẽ ſpiritu ſancto, apoſtoli omnem plenè expectorarunt ambitionem dominãdiq; cupiditatem, intelligentes nunc nihil tale, quale ſibi hactenus cum gente Iudaica imaginauerant, in regno Chriſti & eccleſia eſſe quærendum aut expectandum, ſed longè maiora, ſpiritualia vtiq;, & diuiniora. Ideoq; ex mandato domini & præceptoris ſui, orbem terrarum peragrantes, ita ſeſe geſſere vt in omnibus veriſſimi diſcipuli, & imitatores domini ſui agnoſcerentur, humilitate non dominio præfulgidi, & fideli miniſterio, non faſtuoſo principatu præclari

clari. Siquidem non ſolum Euangelium, ſine hominũ figmentis & traditionibus, purè annunciarunt, ſed & Reges ſecundos in terris à Deo, & ante omnes mortales primos, venerari, dominoſq; ſuos vocare, ijſdem tributum pendere, & fideliter eis obedire, proq; eorum ſalute inceſſanter orare, ſed & imperata magiſtratus (non impia) detrectantibus, diuinam vindictam minitari, ſunt ſoliti. Nullibi negotijs ſecularibus ſe immiſcuerunt, adeò vt etiam pauperum curam, alioqui ſanctiſſimam, in humeros reiecerint diaconorum, quo videlicet impenſius miniſterio verbi incumbere poſſent. Act. 6. 2. Tim. 2. Arma principum & iudicum ſubſellia vel thronos, nuſquam ſibi vſurparunt, tantum abeſt, vt regem vel principem vllum, licet impijſſimum (quales enim vixerint apoſtolorum ſeculo Præſides Romanorum auariſſimi, libidinoſiſſimi pariter & faſtuoſiſſimi, Herodis item poſteri, genimina venenatiſſ. adeoq; ipſi Imperatores, homines ſpurciſſimi & impijſſimi, Tiberij, Caligulæ, Claudij atq; Nerones, nemini eſt obſcurum) regno pellere, populum eius ſacramento ſoluere, vel pro principatu cum vllo Principe certare, nedum ſupra illũ ſe collocare & exaltare, vnquam cogitarint aut tentarint. Graues potius perſequutiones ſuſtinuerunt, quas patientia, non violenta propulſatione, aut practicis inſidijſq; malitioſè ingenioſis, ſuperarunt, prædicandoq; per orbem terrarum Chriſti euangelium, Chriſto ampliſſimas eccleſias ex vniuerſo mundo, collegerunt. Diligenter & copioſè hæc beatus Lucas Euangeliſta deſcribit in libro Actuum apoſtolorum, in quo etſi horum acta per 28. annos proſequatur, nuſpiam tamen vel minima iudicia eius dominij, plenæq; poteſtatis ſpargit, quam hodie iactitant, qui ſe apoſtolicos nominant, & plenitudinis poteſtatem crepant.

S. Petrus princeps apostolorum.

Quod si quis singulare aliquid de S. Petro audire cupit, primus quidem hic semper in Catalogo sanctorum apostolorum ponitur: sed nemo ignorat primatum hunc Petri, non esse dominij sed ordinis. Omnes enim apostoli, iuxta doctrinam Euangelicam, pari dignitate potestateq; fuerunt præditi, & communi eorum opera ecclesiæ gubernantur. Interim ordine, & in dicendo, & in agendo, opus erat, contra confusionem inordinatam, & qui maiora dona erant consequuti in pretio & authoritate plus cæteris

Gal. 2. *habebantur ac honorabantur. Sicuti Paulus loquens de Iacobo, Petro, & Ioanne, dicit eos in ecclesia columnas esse visos. Non quod omnibus alijs essent prælati, & ampliorem consequuti potestatem, sed quod maiora consequuti dona, fœlicius & cõmodius omnia sui officij (quod alioqui cum reliquis habebant commune) peragerent, ideoq; apud fideles in maiori pretio, existimationeq; essent. Ita in pretio & magna existimatione meritò quondam erant*

Apostolicæ ecclesiæ. *ecclesiæ apostolicæ, ab apostolis primum institutæ. Nam apud alias ecclesias authoritate pollebant, non quod dominari cæteris crederentur, sed quod primum conuersæ ad fidem, fidem quam semel didicerant ab apostolis, illibatè custodirent, & alijs synceritate, & constantia præluceret ecclesijs. Hæc fusius exponuntur à vetustissimo scriptore Tertulliano in præscriptionib. hæreticorum. Vbi etiam non Romam tantum vocat apostolicam ecclesiam, sed Ephesum quoq;, Corinthum, Thessalonicam, & alias ab apostolo fundatas. Nec dubium est quin vetustas Petrũ & Paulum nuncuparit Apostolorum Principes, non quòd principes fuerint seculares, aut quòd dominium in cæteros habuerint, aut ampliorem consequuti potestatem, sed quòd excellentissimis ornati donis, à Domino, & dictis & factis, scriptis deniq; & virtutibus ceu sydera fulgidiss.*

inter

inter ſtellas alias fulſerint.

Etenim S. Petrus nullum ſibi vnquam, ne in infimæ quidem ſortis hominem, nedum in Principes vendicauit imperium, nullibi ſuum thronum, quem habuit nullum, ſuper omnes reges & omnia regna ſuperextulit. Procide- S. Petrus nullum ſibi vendicauit imperium in quenquam.
rat ad pedes eius Cornelius Centurio miles Romanus, non leui ex cauſa huc impulſus. Nam angelus domini Petrũ Acto. 10.
hunc ipſi magno commendarat preconio, vnde & coram Petro procidebat. Verum erigit ipſum rurſus Petrus, & humiliter dicit, ſe quoq; hominem eſſe. Ita cum claudum erexiſſet, ſanitate in integrum ei reſtituta, ad templum Act. 3.
Hieroſolymitanum, & populus venerabundus ipſum admiraretur, omnem gloriam Chriſto tribuit, ſe miniſtrum eſſe oſtendit. Nec in epiſtolis ſuis vlla ſe prælatura effert, 1. Pet. 1. & 5.
ſed ſimpliciter, & apoſtolum, & cõpresbyterum ſe vocat, vetans ne presbyteri ſibi dominium vſurpent in clerum. Neq; vero ipſe in cathedra Hieroſolymitana reſidens, à Act. 8.
latere mittit legatos, ſed ſe vnà cum Ioanne, in Samariã, ab eccleſia ablegari ſinit. Sed & in Concilio Hieroſolymi- Act. 19.
tano, nullam ſibi vendicat prælaturam. Omnia in illo concilio communibus conſilijs, & ſuffragijs gerebantur. Et apoſtolus Paulus, qui in omnibus etiam minutiſſimis, ordinationum Chriſti Domini diligentiſſ. fuit obſeruator, nuſpiam tamen S. Petrum, vt cæteris omnibus, prærogatiua quadam, prælatum agnoſcit, neq; vllo modo neglexiſſet, ſi vnq; cæteris prælatum fuiſſe à Domino, credidiſſet. Quin imò libere & acriter reprehendit Petrum in Antiochena eccleſia, ſicut ipſemet exponit ad Gal. *cap. 2. Ibidem Petrum quidem columnam vocat, ſed non ſolum, multò minus columnarum columnam, maxi-* Petrus, Iacobus, & Ioannes columnæ.
mam & excellentiſſimam. Nam duos alios Petro adiungit apoſtolos, quos & ipſos columnas nuncupat, Iacobum

& Ioannem, quin imò Iacobum Petro præponit. Eosdem antea dixit habitos in pretio, vt inde colligeremus cur appellarit columnas. Fuisse vtiq; illos in authoritate, vt qui videbantur communi & fideli sua opera, ecclesiam veluti sustentare, ruituram alioqui, nisi fideli ipsorum doctrina per dei gratiam substructa, subsisteret. Et tamen columnas illas Paulus affirmat sibi nihil contulisse. Quin conferens se cum Petro, qui fuit efficax, inquit, in Petro, ad apostolatum circumcisionis, idem efficax fuit in me quoq;, erga gentes. Alibi verò disertè dicit, se alijs Apostolis
2. Cor. 11. nihil esse inferiorem. Ibidemq; pluratiuo numero dicit summis vel eximijs apostolis se nihil esse inferiorem. Et in 1. ad Corinth. cap. 3. Quis, inquit est Paulus, quis Apollo (subintelligitur hic etiam Petrus, seu Cephas, vtpote cuius mentionem fecit, & in 1. cap. eodem loquendi genere quo hic vsus. Nec est vt nos suspensos illorum teneat opinio, qui fingunt non Petrum, sed alium quendam
Cephas idem qui Petrus. discipulum, Cepham dictum à Paulo hic intelligi. Reclamat enim veritas euangelica Ioan. 1. & apostolica narratio ad Galat. 2. nisi ministri per quos credidistis, & vt cuiq; dominus dedit? Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaq; neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et mox, de omnibus loquens Apostolis, etiam de Petro vel Cepha, sic nos æstimet homo, inquit, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

Sufficiunt hæc illustria & euidentia scripturæ testimonia hominibus curabilibus (incurabiles & contentiosos relinquimus Deo iusto iudici) satis manifestè attestantia, neq; Christi apostolos, neq; ipsummet Petrum apostolum, vel tantillum in ecclesia sibi sumpsisse dominij, sed ministerium salutaris Euangelij, & sanctæ Christi ecclesiæ, per

omnem

omnem vitam ſuam, etiam vſq; ad extremum vitæ exitum, vſurpaſſe duntaxat. Proinde non eſt quod Rom. Pontifex poſthac amplius pro ſe ſuoq; dominio adducat Petri principatum quem iam ſatis conſtat prorſus eſſe & ſemper reuera fuiſſe nullum.

Ne Romanos quidem Pontifices primos tantillum in eccleſia ſibi vſurpaſſe dominij, ſed humiles Romanæ eccleſiæ Paſtores doctoreſq; & miniſtros, adde & Chriſti martyres fuiſſe.

NOlo nunc diſputare, Petrus ne Romam venerit an non venerit. De quo viros doctos non abs re, dubitare video. Certè argumentis non leuibus comprobari poteſt, Petrum eo quidem tempore, & tanto tempore, in ſede illa non ſediſſe, quo & quanto tempore dicitur vulgo continuè ſediſſe. Si Romam venit, ſerò certè, & fortè non diu ante obitum ſuum, eò venit. Veteres enim omnes, hi quoq; qui vicini fuerunt apoſtolorũ temporibus, concorditer & conſtanter affirmãt, Petrũ Romæ. Sub Imp. Nerone propter Chriſtũ & propter Chriſti euangeliũ prædicatũ crucis ſub ijſſe ſupplicium, eodẽ tẽpore, quo Paulus ſecuri percuſſus eſt. Quod facilè conceſſero. Cæterum ab hoc Petro numerantur ad Silueſtrũ vſq;, Romani epiſcopi vel paſtores xxxiij. Quorum tamen nullus vllum ſibi ſumpſit imperium, vel in vrbem ipſam, vel in eccleſiam Romanam, tantum abeſt, vt ſe extulerit ſuper reges & regna. Iſtis tamen hoc adijcere nihil reformido, ſiquidem huius quidpiam tentaſſe & dominatum ambiuiſſe deprehenderentur, deflexiſſe eos à via maiorum adeoq; à Chriſto domino, & ſuo Petro degeneraſſe conſtaret. Vnde ipſorum dicta & facta, contra diſerta teſtimonia Chriſti & apoſtolorum, ſuperius

Petrus ne Romam venerit an non?

rius expoſita, nihil probarent.

Romanæ eccleſiæ vt alijs eccleſijs vnus paſtor præfuit.

Cæterum vt in alijs eccleſiis ceu Antiochena, Alexandrina, Corinthiaca, Phillippenſi, Epheſina, Cæſarienſi, cæteriſq; præfuerunt eccleſiæ Dei paſtores vel doctores, epiſcopi dicti, qui ſuis illis ſibi peculiariter creditis ouibus non alienis, aut pluribus in locis miniſterio ſancto inſeruierunt: Nam ab initio cuilibet paſtori ſuus grex erat deſignatus, & commendatus. Sic etiam factum eſt in eccleſia Romana, quæ ſedes & cathedra nominatur apoſtolica. Nolim autem quenq; ad ſedis Cathedræq; voces obſtupeſcere, & ſibi aliquid Papiſtici confingendo imaginare. Sedes vel Cathedras nuncupauit olim vetuſtas, non Romanam ſolam eccleſiam, ſed celebriores quaſ ſuis, quas ipſi inquam fundarant apoſtoli, & in quibus adhuc ſonabat, vel prædicabatur, florebatq; ſyncera traditio vel doctrina apoſtolica & euangelica. Nã Tertul. in Præſcript. hæret. Percurre eccleſias, inquit, apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitãtur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem vniuscuiusq;. Proxima eſt tibi Achaia, habes Corinthum, ſi non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſ. Si petes in Aſiã tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam. Vnde nobis quoq; authoritas præſtò eſt. Fœlix eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi apoſtolus Ioannes poſteaq; in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Hæc ille. Alioqui Cathedra propriè locus ille eſt in templo, qui eminet & inſtructus eſt, vt ex eo loco vtiq; editiore commodius doceant eccleſiarum miniſtri, audianturq; ac conſpiciantur melius ab

Sedes vel Cathedræ apoſtolicæ.

Romana eccleſia.

audi-

auditoribus, in ecclesia collectis. Qualem & veteres ante Christum natum habuisse constat, ex rebus Achaz regis Iuda, & 8. Nehemiæ cap. Vulgo vocatur, Ein kantzel oder predigstůl. *Non est sella curulis, vel thronus Solomonius vel regius. Neq; veteres intellexerunt per cathedram, & sedem apostolicam q̃ hodie intelligitur regnum vel imperium, & nescio quid maius. Quin imò Cathedra pro ipsa sumitur doctrina apostolica, quæ ex cathedris fuit prædicata, & sedere in sede apostolica, est prædicare doctrinam apostolicam. Notum est enim omnibus, quid per Cathedram Mosis in euangelio Dominus intellexerit, dum dixit: In Cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: quæcunq; iusserint vos seruare, seruate & facite &c. Quid enim aliud est sedere in Cathedra Mosis, quàm profiteri Mosem, & docere ea quæ docuit Moses? Si qui diuersum aut contrarium docuissent, nullam eis Cathedra authoritatem addidisset, perinde vt hodie etiam ex Romana, vel Antiochena, aut Philippẽsi cathedra, vel sede apostolica, nullam habent authoritatem, nec vllo modo sunt suspiciendi, qui doctrinam apostolicam non prædicant, licèt in sedibus illis sedeant. Notissimus est Canon ex S. Hieronymi scriptis relatus in 40. Distinct. Decretorum: Non est facilè stare in loco Petri & Pauli, & tenere Cathedram regnãtium cum Christo. Quia hinc dicitur: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.*

Sedere in sede apostolica.

Sedere in Cathedra Mosis.

In Cathedra sedere & non docere, nihil est.

Ergo post Petrum Romæ interfectum, qui Romanæ ecclesiæ præfuerunt, fuerunt ministri, pastores, ac doctores vel prædicatores, & non Principes vel domini. Irenæus mox Petro Linum subiungit. Tertullianus Clementem. Eusebius Anacletum medium collocat inter Linum & Clementem. Quidam inter Clementem & Anacletum

Successores Petri in sede Romana.

Successio dubia.

numerant quendam Cletum, qui à plæriſq; tamẽ omnino præteritur omittiturq;. Alij ſucceſsionem vel catalogum primorum Romanæ eccleſiæ epiſcoporum aliter atq; aliter ordinant, vt mirum ſit ipſammet vetuſtatem, in illa iſtorum ſucceſsione, ſic variare, & ita ferè nihil certi aut cõperti habere. Vt vt autem ea res habeat, certiſsimum illud tamen eſt, eos qui poſt Clementem ſedem tenuerunt Romanam apoſtolicam, prorſus ignorauiſſe ſummam illam poteſtatem, & vtriuſq; gladij adminiſtrationem, quam, qui ſedem illam ſe hodie obtinere putant, magno faſtu iactitãt. Fuerunt illi humiles & pauperes eccleſiæ miniſtri, qui prædicarunt ſibi creditæ eccleſiæ doctrinam euangelicam & apoſtolicam, ſimul etiam adminiſtrarunt eccleſiæ ſacramenta Chriſti, vitaq; exemplo doctrinam ornarunt, tandem etiam martyrio obſignarunt. Omnes enim illi epiſcopi vel paſtores Romani, martyres Chriſti, propter ſynceram fidem & doctrinam, oppugnatamq; idololatriam & vitam ethnicam impuriſs. vltimo ſunt affecti capitis ſupplicio.

Quales fuerũt primi Rom. eccleſiæ epiſcopi.

Et cum in alijs eccleſijs variæ exorirentur hæreſes & diſsidia grauia, Romana in his eccleſia, præ cæteris, illo tempore, & per initia, ſynceritatem doctrinæ fideiq; conſenſumq; & concordiam fideliter cuſtodiebat. Vnde veteres tanti meritò ſucceſsionem horum in Romana eccleſia epiſcoporum, & conſenſum in fide fecerunt: nihil alioqui haud dubiè tributuri ſucceſsioni in ſede, niſi paſtores in pura doctrina, & ſyncera fide cum eccleſia Romana perſtitiſſent.

Conſenſus & conſtantia Rom. eccleſiæ in verâ fide.

Diſſenſio quidem & in hac etiam exoriebatur eccleſia, inter Anicetum epiſcopum Rom. & Polycarpũ Smyrnenſis eccleſiæ miniſtrum S. Ioan. apoſtoli diſcipulum, ſed non propter articulos fidei, ſed propter diem Paſcha-

Diſſentio in Romana eccleſia cum exteris

tis celebrandum. Cæterum non protendebatur concertatio. Pulchrè enim & fraternè rursus consentientes, voluere, vt quisq; suum morem, in sua receptum ecclesia, obseruaret retineretq; : ne propter diuersitatem cæremoniarum, concordia rumperetur ecclesiarum. Rursus vero Victor Romanæ ecclesiæ episcopus, plus sibi, quàm decebat, sumens, & à maiorum modestia simplicitateq; declinans, concordiam illã initam, inter Anicetum & Polycarpum, turbare ausus, anathemate Orientales Quartodecimanos, percussit. Atqui cæteri ecclesiarum pastores, Victorem non agnouere pro Dictatore ecclesiarum, & qui iure sibi in alias ecclesias authoritatem sumeret. Nam audax temerariumq; eius facinus, & Orientales & Occidentales Episcopi, redarguerũt, Sanctissimi videlicet doctissimiq;, & eo seculo in maxima existimatione habiti, Polycrates Ephesiorum, & Irenæus Lugdunen. episcopus. Atq; ita in viam iustam reductus est Victor. Quod pluribus enarrat Eusebius in Historia sua ecclesiastica.

Victor sumit sibi potestatẽ in alienas ecclesias.

Et quidẽ successu tẽporis vitia quæ alias passim ecclesias exercuerunt ac corruperunt, Romanam quoq; inuadere cœperunt. Nam exortum schisma ingens, in ecclesia Romana, dum alij sibi eligerent pastorem, beatum Cornelium, alij vero Nouatum, eum à quo exorta est hæresis vel secta Nouatianorum, admodum ecclesiæ pestifera. Gubernationem vero accepit Cornelius, sub quo cœperunt quidam ex Aphrica, suas controuersias disceptandas, referre ad sedem Romanam. Cæterum beatus martyr & episcopus Carthaginens. Cyprianus, illis quoq; se opposuit, & Episto. lib. 3. epistola 1. ad Cornelium Romanum, quem fratrem suum vocat, inter alia dicit, statutum omnibus, sed & æquum esse pariter & iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimen admissum. Item, singulis

Dissensio in ipsa Rom. ecclesia.

Non oportere prouocari ad Rom. ecclesiã ab alijs ecclesijs.

pastoribus portionem gregis esse ascriptam, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus domino redditurus. In his obscruetur quòd isto adhuc tẽpore Romanus Episcopus non fuit agnitus pro vniuersali pastore, cui reliquæ ecclesiæ omnes fuerint subiectæ. Quinimò singulis pastoribus singulas commissas esse ecclesias quas gubernent, domino, non Papæ, rationem reddituri. Neq; vero S. Cornelius, vel Romam ex Aphrica prouocantes, probauit, vel alijs ecclesijs omnibus præesse, & dominus omniũ regum, & regnorum salutari voluit. Breuiter, episcopi isti Romanæ ecclesiæ omnes interfecti sunt propter doctrinam sanam, & cõfessionem nominis Christi, à principibus Romanis: tantum abest, vt plenam sibi in vllos, nedum Romanos principes potestatem sumpserint. Quem enim hi ex tot impijs & cruentis, parricidisq; principibus, quorũ numerus XL. superat, deiecerunt imperio? Aut quem oro excommunicarunt? Aut qui nam ex his populum à iuramento imperatoribus præstito, absoluerunt? Aut quis ex his omnibus dixit, scripsit, aut cogitauit se à Christo domino per Petrum accepisse plenitudinẽ potestatis, & se cõstitutum esse super Reges & regna? Proinde certissimũ est hos primos Romanæ ecclesiæ ministros, illa ignorauisse, quæ Pontifices Romani, vltimi illius & fatalis seculi sibi vsurparunt, & ex istorum epistolis confirmare multo iam tempore frustra contenderunt.

Decretales epistolas primorum Pontificum Romanorum esse suppositicias.

Ab alijs & alio tempore scriptas videri illas Epistolas.

ET enim non nescio plurimas istorum sanctorum episcoporũ, & martyrum Romanorum circumferri epistolas, quas vocant decretales. At illæ semetipsas, suæ absurditate, subuertunt & suppositicias esse com-

commonstrant, cum pleraque sint tam leuicula, nugatoria, alienaq; prorsus à prisca illa simplicitate, synceritate & maiestate, vt pijs & doctis viris non iniuria videantur, ab alijs longo post tempore fuisse conficta. Nec multum moueor, quod Damaso & Isidoro collectori illæ attribuuntur: cum non desint qui huius generis quædam ad Gregorij vsq; 7. tempora reijciant. Sed vt vt temporis ratio habeat, quid obsecro vanius est, quàm quod hæc verba Anacleto ascribuntur, hæc sacrosancta Romana & apostolica ecclesia, non ab apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro, primatum obtinuit, & eminentiam potestatis, super vniuersas ecclesias, &c? Et iterum, inter beatos apostolos fuit quædam discretio. Et licet omnes essent apostoli, Petro tamen à domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset apostolis, & Cephas, id est, caput, & principium teneret apostolatus. Hæc ille. At quis vel modicè versatus in historijs, ignoret, post quingentos demum annos, non à Christo, neq; ab apostolis, sed à malèferiatis, imò perfidissimis hominibus, impetratum ac constitutum esse, vt Roma dicatur caput omnium ecclesiarum, id est, primatum & eminentiam potestatis in omnes obtineat ecclesias? Aut quis credat Anacletum tam inexercitatum fuisse in lectione euangelica, vt ignorarit Cephas non caput, sed lapidem aut Petram significare? quemadmodum ab ipso Ioanne apostolo interpretatum est Ioan. 1. Vtri verò interpreti plus credas, Ioanni ne apostolo, an ficto Anacleto? Dolus ergo & in his, & in multis alijs malus maleferiatorum deprehenditur hominum. Frequentissimã mentionem idem facit archiepiscoporum, & metropolitanorum, nec omittit primates. At manifestissimum est, primitiuæ ecclesiæ illos titulos planè ignotos, postea vero seculis po-

Falsò ascripta Anacleto.

sterioribus adinuẽtos vsurpatosq; fuisse, & ab initio ratione quodammodo tolerabiliore, q̃ postea posteri fastuosius sunt vsurpati, imò potius abusi. Quid quod idem ille fictus Anacletus, episcopum presbytero maiorẽ facit? Cum ipse Hieronymus scripturis ostendat, eosdem esse presbyteros quos episcopos, & processu tẽporis prælatos esse presbyteris episcopos, non diuina sed humana ordinatione. Sed & prouocationes, quas appellationes vocant, quæ fiunt ad sedem Romanam, hic Anacletus probat, dicens, omnes grauiores quæstiones atq; causas, referri oportere ad sedem apostolicam, sic enim statuisse apostolos. At hoc ipsum manifestè reprobauit sanctus Christi martyr Cyprianus, scribens ad papam Cornelium. Multa insuper garrit de priuilegijs & Iudicijs ecclesiæ: quæ nisi quis videat non congruere primitiuis illis ecclesiæ temporibus, nihil videt, sed Tiresia est cæcior.

Falsò ascripta Alexandro Papæ.

Iam & Alexandro Papæ decretum ascribitur, quo mandat, vt aqua cum sale consecretur, ad expurgandum populum, amoliẽdasq; diaboli insidias. Quis verò leuissimus corde credat, viros tantos, in luce euangelij tanta de huiusmodi nugis, & apertè cum euangelica & apostolica doctrina pugnantibus, edidisse tam putida decreta? Non respiunt hæc apostolicam & vetustam illam puritatem maiestatemq;, omnem salutem vni sanguini filij Dei, & non aquis aut sali, vnicè tribuentem.

Falsò ascripta Sixto.

Mandat Sixtus papa in illis decretalibus epistolis, ne quis alius vasa sacra, nisi consecratus contrectet. Scilicet pulchrè hoc congruit cum apostolica doctrina, tradita ab apostolo, ad Col. 2. deniq; cum historijs, quæ testantur apertè ipsum Dominicum panem & poculum, laicorum etiam manibus esse receptum atq; contrectatum, etiam aliquot ab hoc Sixto seculis. Quid quod in illis epistolis aperta

perta & celebris sit mentio itinerarij Clementis, quem tamen librum, ipsa Gratiani Decreta reijciunt ad Apocrypha? Itinerarium Clementis.

Sed & Thelesphorus commendat ieiunium septem ante Pascha hebdomadarum, vsum etiam carnis prohibẽs. Quod rursus quàm probè congruat cum doctrina apostolica, & historijs, cognoscitur ex ijs, quæ scripsit S. Paulus, ad Col. 2. & 1. Timoth. 4. quæ item scripta reliquit in historia sua ecclesiastica Socrates, lib. 5. cap. 22. maximè verò ex Irenæo Euseb. eccles. lib 5. cap. 26. Falsò ascripta Thelesph.

Porrò Calixtus refertur in illis epistolis ieiunium quatuor temporum instituisse. Id quod alij, ad alios referunt authores vel inuentores. Illud verò in istis, non sine risu, legi potest, quod Eusebius prædecessor Melciadis, tanta cum supercilio mandat, vt 5. Nonas Maij, inuentio S. crucis celebretur. Etenim alij commemorant hoc tempore crucem nondum esse inuentam, sed demum post 20. annos, ab Helena matre Constantini Imperatoris repertam. Quàm rursus superstitiosa, putida, & deridenda præcipiantur in ijsdem, ne monachæ (scilicet) vasa contrectent sacra. Quasi vero monachæ vel Nonnæ, illis temporibus vllæ adhuc fuerint. Quarum originem alij ad longè posteriora referunt tempora. Multa alia huius generis libens transeo, ne lectoribus fastidium moueam. Ita enim inepta, absurda, superstitiosa, & ambitiosa sunt in istis plurima, vt inde omnes oculati colligãt supposititias esse, præsertim verò quod rarissima, adeoq; nulla sit mentio in his omnibus synceræ fidei in Christum, atq; adeò & ipsius Christi redemptoris nostri, eorumq; thesaurorũ quos in ipso nobis pater donauit, quæ genuina est nota apostolicorũ scriptorum. Et si verò in illis non inutilia legantur, apud alios tamen eadem puriùs & absq; putaminibus eroſis sa- Falsò ascripta Calixto.

nie humanarum traditionum tradita inueniuntur. Sed & compertissimum est, prima illa synceriſsima eccleſiæ tempora, non agnouiſſe tot cæremonias, tot decreta, & tot conſtitutiones, quot in illis reperiuntur eccleſiæ Dei obtruſæ epiſtolis. Sancta enim religioſaq; vetuſtas, non dum erat oblita Concilij illius apoſtolici, apud vrbem Hieroſolymorum celebrati: in quo non tantum Petrus planè noluit liberis fidelium ceruicibus iugum imponi, ſed inſuper ſpiritui ſancto, & vniuerſæ primitiuæ apoſtolicæ, viſum eſt, ne quid oneris amplius fidelibus imponeretur &c. Nota eſt hiſtoria hæc in Actis Apoſtolorum cap. 15. deſcripta.

Acto. 15.

Non admittēdæ illæ Epiſtolæ in diſputationem.

Quod ſi aduerſarij omnino contendere perrexerint, illas iſtorum eſſe genuinas epiſtolas, reſpondimus paulò ante, nihil eas probare contra doctrinam euangelicam & apoſtolicam, & iccirco nos illas non admittere in diſputationem. Interim tamen meliora de viris tantis, ſanctiſq; Chriſti martyribus ſperamus, neq; vllo modo volumus præclara eorum nomina memoriamq; beatam, huiuſmodi nugis contaminare, & dedecorare, quarum proculdubio nullæ, vel per ſomnium, in mentem eorum venere.

Etiam poſteriores Romanos epiſcopos, ad Gregorium vſq; primum non iactauiſſe poteſtatis plenitudinem, nec ſe conſtitutos eſſe ſuper Reges & Regna.

Epiſcopi deflectunt à maiorum ſuorum veſtigijs.

Qeterum à Conſtantini magni ætate, qui eccleſiis pacem reddidit, fateri cogimur epiſcopos, non tantum Romanos, ſed & alios per orbem eccleſiarum antiſtites, cœpiſſe à prædeceſſorum ſuo-

rum

rum deflectere vestigijs planis, nec ita solicitè adhæsisse doctrinæ simplici apostolicæ, ideoq; plures admisisse in ecclesiam cæremonias, quàm decuerat, præterea immiscuisse se rebus terrenis, hisq; studuisse plus nimium. Sed & noua dignitatum nomina & officia adinuenisse, & alia huius generis in ecclesiam intromisisse, quæ viam aperiora strauere. Vidit hoc præclarus ille Poëta, Baptista Mantuanus, qui de Constantini magni temporibus disserens, inter alia cecinit.

Et graue manauit dulci de melle venenum,
Vox est blanda quies, pax delectabile nomen,
Plura tamen de pace fluent opprobria, damna,
Dedecora, ærumnæ, quàm de crudelibus armis
Degenerabit enim virtus antiqua &c.

Ex nimia securitate, corruptela manauit ecclesiæ.

Vtcunq; verò ad deteriora inclinare inciperet, tum Romani, tum aliarum ecclesiarum præsules, ignorata tamen, adhuc illis fuit Romana illa, quæ hodie defenditur monarchia vel tyrannis. Nam vt nihil ex alijs huc afferam vetustioribus ecclesiæ Dei scriptoribus, an non S. Hieronymus in Epistola ad Euagrium, & in Cõmentarijs ad epistolã S. Pauli ad Titum, manifestissimè Romanum episcopum, & ipsammet Romanam ecclesiam omnibus alijs in mundo episcopis atq; ecclesiis æquat? An non apertè dicit ecclesias antiquitus communi presbyterorum consilio gubernatas? An non significantissimè ex scripturis ostendit eosdem esse presbyteros quos & episcopos: & minimè aliud quidem ætatis, aliud vero officij esse nomen? Annon clarè dicit episcopos consuetudine ecclesiæ, & non Dei dispensatione presbyteris esse prælatos, & hos illis subditos? Vnde profectò mirandum esset cur Epiphanius cõ-

S. Hieronymi de Rom. ecclesia & Romanis episcopis iudicium.

Ephiphanios contra Ærianos.

tra Aërianos, hoc ipsum quod tot verbis & tam significãtibus Hieronymus inculcat, ille inter hæreses recenseat, nisi alij monerent Epiphanium in affricanda alijs hæresi, nimio fuisse facilem. Certè in hac causa, contra authoritatem scripturæ sanctæ, innoxios, pace tanti viri dixerim, iniquè traduxit. Quod si quis ipsa Hieronymi verba audire malit, en breuibus ea, quæ huc faciunt recensebo, ad Euagrium: Non altera, inquit, Romanæ vrbis ecclesia, altera totius orbis, existimanda est. Et Galliæ & Britanniæ, & Aphrica & Persus, & Oriens & India & omnes Barbaræ nationes, vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunq; fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem episcopum facit. Cæterum omnes apostolorum successores sunt.

Et in Epistolam S. Pauli ad Titum: Idem, inquit, est presbyter qui episcopus. Et anteq; diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postq; vero vnusquisq; eos quos baptisauerat, suos putabat esse, non Christi in toto orbe decretum est, vt vnus (non loquitur duntaxat de Romano episcopo, sed omnibus alijs metropolitis per orbem) de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Rursus cum idem Hieronimus pluribus scripturæ testimonijs comprobasset atque demonstrasset, eosdem esse presbyteros, quos & episcopos, mox subiungit: Hæc propterea commemorauj, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos, paulatim

tim verò, vt dissensiorum plantaria euellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita episcopi nouerint, se magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesiam regere. Et quæ sequuntur.

Et quamuis non æstimem quenquam post ista quæ hactenus, ex Hieronymo commemorauí, planiora plenioraq; requisiturum, in hoc præscisi negotio, adijciam tamen his quadam adhuc ex ipso Gregorio, qui & ipse fuit Romanus episcopus, in sedem illam collocatus, anno Domini 591. in qua & mortuus est, anno domini 604. Erit hic vnus satis locuples testis, suo adhuc tempore monarchiam illam tyrannicam & papisticam, nondum fuisse nec collocatam in sede & cõfirmatam. Gessit hic Gregorius, priusquam ad episcopatum Romanæ ecclesiæ eligeretur, prætoram Romæ vrbanam, sicut ipse attestatur Epist. lib. 3. epist. 2. Electus episcopus & in episcopatu vel sede, à Mauritio Imp. qui Constantinopoli residebat, confirmatus, Imperatorem vocat & agnoscit dominum suum, à Deo constitutum, & se eius subditum & famulum. Sed & exarchis ducibusq;, dispositis per Italiam, tanquam fidelis subditus obediuit, eosdem vocitans dominos suos. Parebat ciuilibus eorum legibus, adde & legibus eorum ecclesiasticis. Quæ quidem omnia in eius leguntur epistolis, lib. 2. epistola 61. Iterum lib. 4. epist. 31. & lib. 1. epist. 43. item lib. 7. epist. 11. Quid quòd Paulus Diaconus lib. 4. de rebus gestis Longobardorum, cap. 9. testatur Gregorium se subiecisse iudicandum Mauritio Imperatori, ob homicidium Malchi episcopi, cuius ille insimulabatur? Meminit eius rei ipsemet Gregorius epist. lib. 7.

Gregorius Papa Romanus oppugnat plenitud. potestatis vlt. Rom. Pont.

Sed leuia exiliaq; hæc videbuntur, si cum ijs, quæ idem ille scripta reliquit, conferantur. Nam cum quidam Ioannes episcopus Cõstantinopolitanus, vellet se nuncupari œcumenicum episcopũ, agnosciq; pro vniuersali episcopo, qui primatum ius & dominium haberet, in omnes alias totius orbis ecclesias, ecclesiarumq; episcopos, acriter constanterq; ei restitit Gregorius, sicut ante ipsum etiam fecerat Pelagius Pontifex. Scripsit ille plures & diuersas ea de re epistolas, ad Mauritium Augustum, ad Constantiam Imperatricem, ad ipsum Ioan. Constantinopolitanũ, ad Episcopos Antiochiæ & Alexandriæ. Inter alia negat quenquam esse debere vniuersalem episcopũ, præter Christum, neq; vllos ante se episcopos eum titulum vsurpasse. Dicit enim titulum esse nouum, stultũ, superbũ, peruersum, scelestum, prophanum, in quẽ cõsentire, sit perinde ac fidẽ abnegare. Rursus loquens de Ioan. Constantinopolitano, ex eo, inquit, in quo sedebat cinere, ex ea quã prætendebat humilitate, iactantiam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet ascribere, & omnia quæ vni soli capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis, eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare. Mox illum comparans cum Lucifero, scribit: dixit Lucifer, in cœlum conscendam, supra astra cœli exaltabo solium meum. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis ecclesiæ episcopi, nisi astra cœli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata, errores hominum, quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum, vocabulo elationis præponere, eorum nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi, in cœlum ascendam &c. Deniq; ad eundem scribens Ioan. Constantinop. Omnia, inquit, quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas est, sacerdotum ei paratur exercitus.

Christus solus vniuersalis Pontifex.

Quia

Quia ceruici militant elationis, qui positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Et idem iterum, lib. epist. 6. epist. 30. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit. Quia superbiendo se cæteris præponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur &c. Et verissimè quidem hoc dixit Gregorius. Nam Ioan. ille Constãtinopolitanus fuit ille præcursor Antichristi: quippe qui iniquis & importunis illis suis summi apicis postulationibus, occasionem Romanis Pontificibus dedit aspirandi ad supremum fastigium. Inter eos mortuo Gregorio Bonifacius 3. à Phoca Imper. impetrauit, vt ecclesiam Romanam pronuntiaret omnium aliarum ecclesiarum esse caput, vt dicit Beda, Primam, vt ait, Paulus Diaconus, matrem, vt dicunt Vespurgen. & Krantzius. Vnde mox episcopi Romani, vtpote supremæ sedis episcopi, se nuncuparunt, & supremos & vniuersales omnium ecclesiarum pastores, cui meritò obediant omnes. Nauclerus enim in sua historia, Phocas Imp. Pontificis suasione, inquit, publicè & ad vniuersum orbem, dimissa sanctione, constituit, vt Romanæ ecclesiæ Romanoq; Pontifici omnes orbis ecclesiæ obedirent. Addit tum idē ille historicus, quòd retroactis tẽporibus non ad vnguẽ seruabatur, maximè à Græcis, &c. Fuit autem Phocas qui hanc legem tulit, mõstrum hominis, princeps perditiss. latro crudeliss. & libidinis omniumq; scelerum, quod historiæ testantur, mancipium, omnium regum infœliciss. Constitutionem ergo se dignam fecit, ne non dignum habeat semper patella operculum, similesq; inueniant labra lactucas.

Postremos Romanos episcopos, a primis & medijs Rom. episcopis, planè degenerasse, & titulum plenæ potestatis execrabilem sibi contra ius & phas vsurpare.

Vltimus inter pastores Romanæ ecclesiæ, Gregorius.

NOn abs re nonnulli viri pij & docti in ecclesia, dixisse leguntur, inter posteriores episcopos Romanos, qui inter pastores numerari merentur, vltimum fuisse Gregorium. Postremos enim, qui illos sunt sequuti, non pastores gregis, sed depastores fuisse, paucis exceptis. Etenim per verbi diuini neglectionem, affectionesq; terrenas, non tantum doctrinæ Christianæ synceritatem humanis inuentis traditionibusq;, mirum in modum obscurarunt, sed & cultus diuini simplicitatem, puritatemq;, impuris superstitionibus, & parum aut nihil ab Ethnicis impijsq; idololatrijs discrepantibus, polluerunt corruperuntq;. Plerique ex illis doctrinas depranatas, & ipsa idola abominationesq; alias palàm defenderunt, pariter & populo obtruserunt. Alij ex illis omni disciplina, & honestate conculcata, fœdis & nepharijs libidinibus, luxuria & lasciuia, impudicitia, adulterijs demiq; & stupris, incestu alijsq; sceleribus sese veluti in cœno Cocyti, Stygiaq; paludis pronoluerunt. Alij ne à veneficijs quidem, necromantijs vel dæmonum consortio, à magia omnibus seculis damnata, à parricidijs atq; sacrilegiis sibi temperarunt. Plerique omnes & maximè postremi Pont. Romani, diabolica dominandi cupiditate cæcati, fastuq;, exemplo carente turgidi ac elati, contra diuinum præceptum ac apostolicum exemplum, & per Simoniam se in sedem illam extollere, & seculari regno se implicare, simul à subiectione regum et principũ, à Deo constitutorum, sese subtrahere, aliena vsurpare, vtramq;

tramq; perſonam gerere, iuriſdictionemq; vtriuſq; gladij ſibi arrogare, neminem parem, nedum ſuperiorem, ferrè: alijs denicq; dignioribus, & à Deo ordinatis, ius & honorem negare, imò & præripere: Principibus ipſis imperare, legeſq; præſcribere, demum & eoſdem pedibus proculcare, neq; coram Deo, neq; coram angelis eius, & vniuerſo mũdo, erubuerunt.

Ne quid autem hic affectui indulgere, aut odio hæc dicere, vel tantillum fingere videar: agè fiat periculum, & inquiratur in vitas Pontificum, legaturq; vita Ioannis 12. Sylueſtri 2. & 3. Benedicti. 9. Gregorij 6. & 7. Vrbani 2. Paſchalis 2. Calixti 2. Honorij 2. & 3. Innocentij 2. 3. & 4. Hadriani 4. Alexandri 3. Gregorij 9. Clementis 4. Sed cogor hic ſubſiſtere, ne catalogum Lectori nimis prolixum & moleſtum pertexam. Nam poſſem plures adhuc, parum his melieres, & deteriores nimis multos, ex conſequentibus nominare Pontificibus. Præſtat verò hac in cauſa Epiſcopi alicuius audire iudicium. Non tamen Benonis Cardinalis, & quorundam aliorum proferam teſtimonia, ſed Eberharti Comitis ab Abenſperg, qui cum Salisburgenſ. eſſet epiſcopus, in Concilio Regenſpurgenſ. quod celebrabatur anno domini 1240: Orationem habuit bene longam, in Roman. Pontificum tyrannidem, quam integram in hiſtoriam Annalium retulit Ioan. Auentinus lib. 7. fol. 683. Inter alia, Chriſtus ſeruator Dominus & Deus noſter, relicto æthereo ſolio, inquit: mortalis & pauper factus eſt, vt nos immortales & diuites efficeret. Cumq; deuictis inferis triumphabundus rurſus in cœlum rediturus eſſet, pacem ſuam nobis dedit, pacem ſuam nobis reliquit, concordiam atq; mutuum amorem, tanq; notam & teſſeram, qua ciues ſui, à militibus inferi Ioris diſcernerentur, aſſignauit. Summopere quoq; admonuit, vti

Eberhartus epiſcopus Saliſburgen. contra tyrannidem Rom. Pont.

falsos Christos, falsos prophetas, vitaremus, nimirum Christiano nomine atq; pontificio titulo, nobis dominari atq; illudere cupientes. Sub pontificis Max. titulo, pastoris pelle lupum sæuissimum, nisi cæci simus, sentimus. Romani flamines, arma in omnes habent Christianos, audendo, fallendo, & bella ex bellis serendo, magni facti, oues trucidant, occidunt, pacem concordiamq; terris depellunt, intestina bella, domesticas seditiones ab inferis eliciunt, indies magis atq; magis omniū vires debilitant, vt omnium capitibus insultent, omnes deuorent, vniuersos in seruitutem redigant. Non Pontificis pastoris more gregi consulunt, sed potius immanitate tyranni licentia debacchantur, iustitia rarescit, impietas, auaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium & libido crebrescit. Christus inimicos odio habere vetat, eosdem amare præcipit. Romanenses cōtra, sancta violare, fœdere Dei nomine sacrato ad fallendos homines abuti, benemeritis ingratos esse, malefactis beneficia compensare, belligerari, litigare, defraudare, prodere, sub magna pietatis specie iubent. Hildebrandus (is est Gregorius 7.) ante annos 170. primus specie religionis, Antichristi imperij fundamenta iecit. Hoc bellum nephandum primus auspicatus est. Quod per successores hucusq; continuatur. Primo illi Imperatorem à Comitijs Pontificalibus extrusere, & ad populum & sacerdotes transtulere. Deinde & his ludibrio habitis atq; explosis, nunc & nos in ordinem redigere, atq; seruitutem, conantur, vt soli regnent. Capti iam Imperij consuetudine, pensitatis suis & aduersariorum viribus, occasione rapiendæ dominationis, & opprimendæ libertatis Christianæ, specioso Ecclesiasticæ constituendæ Libertatis fuco vtentur. Credite experto, non cessabunt donec omnia in suam potestatem redegerint. Pont. noua sub pe-

Gregorius 7. fundamenta imperij antichristiani primus iecit.

Ecclesiastica Libertas.

ctore

ctore consilia volutat, vt proprium sibi constituat Imperium, leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, quem Antichristum vocare solent, in cuius fronte contumeliæ nomen scriptum est, Deus sum, & errare non possum. In templo Dei sedet, longè latéq; dominatur. Hæc & his similia plurima alia, sanctus ille episcopus magna cum libertate constantiaq; peroranit. Neq; vero præsul hic vanus omnino fuit vates, cum post 60. annos Bonifacius eius nominis VIII, homo spurcissimus & nequissimus, in tam diabolicam elatus legitur confidentem superbiam, vt auderet palàm in ipso Iubileo (quod ipse primus contra fidem Christianam adinuenit & instituit) in confertissima ex omnibus sub cœlo nationibus turba, se ostentare, & summum Pontificem & Imperatorem Max. Primo enim solemni die in pontificalibus apparens, stulto populo, apostolicam, vt vocant, benedictionem dedit. Postera autem Imperiali corona redimitus, & habitu regio indutus, iussit ante se gladium deferri nudatum, considensq; in throno, clamauit, Ecce duo gladij hic. Nec hoc Luciferianico satiatus spectaculo, insuper ausus est, eodem illo tempore, legationem Principum Electorum, significantium se in Romanorum Regem elegisse Albertum Habspurgicum, & Austriacum principem Rodolphi regis filium, contumelioßissimè reijcere: adde & legem etiam ferre, modis omnibus tyrannicam, & antichristianam. Quæ extat in Extrau. lib. 1. De maioritate & obedientia, Vnam sanctam. In ea lege, postq; omnem potestatem spiritualem, pariter & temporalem attribuisset Papæ Romano, tãdem concludit eandem, & dicit, Porrò subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis. Cum vulgo

de hoc pontifice eius eulogium circumferatur: Intrauit vt vulpes, regnauit vt Lupus (alij habent, vt Leo) mortuus est vt canis. & Philippus Pulcher Rex Francia, illum accusarit hæreseos, homicidij, Simoniæ, & grauissimorum quorumlibet scelerum, non pudet tamen Papistas putidissimam hanc exquisiti nebulonis huius legem etiamnum pro sua monarchia tuenda, proferre.

Huc pertinet quod Ioan. xxij. edita contra Ludouicum iiij. Imp. Bulla, quam integram Auentinus lib. Annalium 7 recitat, inter alia dicit: Summa potestas, maximum imperium, vbi orbum capite fuerit, penes Pontificem Maximum, cuius beneficium illud est, existit. &c. Hoc ille ausus est scribere anno domini. 1323. Sic creuerant animi à Bonifacio in carcere mortuo intra annos 23. At respondit Bullæ multis Edicto Ludouicus Imp. Edictum illud eius publicum ab eodem Auentino, eodem libro totum historiæ insertum legitur. In eo inter alia, Pontifex (Ioan. 22.) sanguinẽ, inquit, Christianũ sitit, discordiæ seditionũq; mala vbiq; gentiũ inter christianos serit. Nec licet per hunc Antichristum, Christianis, pacem à Deo datam, seruare. Tanta est hominis vel sathanæ potius illius vecordia, vt publicè pro concione scelera sua, quasi benefacta prædicet. Cum Christiani, inquit, Principes inter se discordant, tum Romanus Sacerdos est vere Pontifex Max. demum regnat, demum dominatur. Seditio itaq; atq; discordia Germanorum, salus est Romanorum Pontificum. Proinde enitẽdum est Pontifici Max. vt regnum Almanorum conterat. Et paulò post dicit Imp. Eis qui fidem Cæsari seruant, & Christo seruatori nostro præcipienti obtemperant, nec aliam ob causam, notam inurit hæreseos. Quicquid libet, licitũ iudicat. Quid igitur cum illo agam? Neq; ius, neq; æquum, neq; bonum exe-

Ioan. 22.

Ludouicus 4. Bauarus Imp. contra Papam

Papam vocat Imperator Antichristum & Sathanam.

exequi scire ſtudet. Nihil videt, nihil facit, niſi quod libet. Sathanæ ſpiritum ſibi ſumit, ſe ſimilem altiſſimo facit. Se adorari (quod cœlitum quidam ſibi à Ioanne fieri prohibuit) pedes ſibi oſculari, more Diocletiani atq; Alexandri ſæuiſſimorum tyrannorum, permittit. Cum Chriſtus Dominus, & Rex noſter pedes comitum ſuorum piſcatorumq; lauerit, vt nuncij ſui vicissim, illis ad quos miſsi ſunt, hoc faciant: Et quæ ſequuntur. Ea recenſui, vt extaret dilucidum teſtimonium, iudiciumq; de poſtremis illis infœlicibus Rom. pontificibus, non tantum Epiſcopi celeberrimi, ſed & Regis vel Imperatoris glorioſiſſimi. Adorari ſe Papæ ſuſtinent.

Tempore illo ipſo Ludouici iiij. circa annum domini 1330. hoc eſt, ante annos 240, floruit clariſsimus conſultiſsimuſq; Iuriſcoſ. Marſilius ille Pataüinus, qui egregium pro Imp. Ludouico 4. librum, contra Romanos Pont. ſcripſit, eumq; Defenſorium pacis appellauit. In eo Dict. 2. cap. 4. multis ijſq; euidentiſs. argumentis demonſtrat, Romanum, imò & quemuis epiſcopum ac presbyterum, nullum principatum ſupra quenquam clericum vel laicum habere. Et quod Chriſti exemplo, ſi talis offeratur, debeat recuſari. Et quod omnes epiſcopi, & clerici ſubeſſe debeant principatui dominantis &c. Rurſus idem in Dict. 2. cap. 25. Aſſumpſerunt, inquit, titulum, quem de ſe prædicant, & huius nequitiæ inſtrumentum facere ſtudent, Plenitudinem videlicet poteſtatis: quam à Chriſto, in perſona beati Petri, aiunt ſibi tanq; huius apoſtoli ſucceſſoribus ſingulariter eſſe conceſſam. Quo quidem execrabili titulo, & oratione ſophiſtica, nituntur in ipſorum ſeruitutem redigere omnes mundi principes, & populos, collegia & ſingulares perſonas. Et iterum, Quamuis verum dixerit Euangeliſta, Chriſtum enuncians regem regum, & dominum dominantium, falſum tamen Marſilius Pataüinus de titulo Plenit. pot.

& apertum mendacium, contra Christi & apostolorum Petri, Pauli, & Iacobi manifestam sententiam dixit, & scripsit, qui potestatẽ principatus aliquam, nedum plenã, asseruit esse traditam in persona beati Petri, aut alterius cuiusuis apostoli, Romano vel alteri cuicũq; episcopo. Sed est, fuit, & erit episcopo Romano & reliquis omnibus in apostoli cuiuscunq; persona, talis per Christum interdicta potestas, quẽadmodum indubiè certificauimus per scripturã & sanctorum authoritates 4. 5. & 9. huius. Hactenus Marsilius.

Concluditur hæc disputatio, ostenditurq; Pij. 5. Papæ sententiam, promulgatam contra sereniss. Angliæ Reginam, & inclytum Angliæ regnum prorsus esse vanam & inefficacem.

Vorsum verò hæc tam altè repetita pertinent, dicat aliquis? Huc nimirum pertinent ista omnia, vt ex ijs liquidò appareat, ac etiã ab ipsis maximè simplicibus colligi possit: Plenitudinem potestatis, & principatum super omnes Reges & omnia Regna, quam Pius ille 5. Papa, sibi omnibusque Rom. pontificibus datam, Bulla illa sua, iactitat, nihil aliud esse quàm bullare, id est, vanissimum commentum, imò sathanicum & execrandum mendaciũ, ab ipsismet Papis, & suæ farinæ hominibus adulatoribus excogitatum, inuentũ, & populo Dei obtrusum. Nihilenim tale Christus vnquam, vel Petro, vel alijs apostolis tradidit. Nec Petrus huius quicq; suis successoribus reliquit: vt iam non dicam, Papas nihil minus, quàm Simonis Petri, quinimò Simonis potius magi esse successores. Sed & Dominus mandat non semel, nec obscurè, sed apertissimè in euangelio episcopis obedire, non dominari Regibus. Vn-

Act. 8.

de

de apostoli, & primi Romanæ ecclesiæ pontifices, ministri ecclesiæ, adeoq; & martyres, & non principes populorum fuere, iustamq; obedientiam principibus præstiterunt. Quales vero sint, fuerintq; postremi Romanorum Pontifices, qui recedentes à patrum vestigijs illam plenitudinem potestatis quam nunc iactant, & sibi vsurparunt, & tyrannicè exercuerunt, noti sunt omnibus, non ex suis virtutibus, sed ex infandis sceleribus. Quid ergo restat aliud, quam Pij Papæ v. (qui conscendit in thronum, vt ait, iustitiæ, iudicaturus) sententiam, quam ex plenitudine potestatis promulgando definiuit, & pronunciauit cõtra Sereniss. Angliæ Reginam, & regnum Angliæ inclytum, nullam inefficacemq; esse penitus. Quia vana, ficta, & ementita est potestas, ex cuius vi laruatus hic iudex, imò non iudex, sed tyrannus & Antichristus iudicauit.

Proinde cum cernis, vel hoc nomine fœlix Anglia, cõtra te contorta vibrataq; esse fulmina Romana, quæ Bulla vniuersum sparsit per orbem, cogitabis nouum Cacum Italicum ex vmbrosis illis suis cauernis multaq; caligine cæcis, Auentini montis, rursus vana illa sua incendia exhalare, nebulasq; atras & mixtas igni tenebras, cæcutientum offundere oculis. Qui Dei gratia oculos receperũt, norunt quis sit vanus ille Salmoneus fulgurator, homo nimirum ille peccati, filius perditionis vt apostolus dicit, qui effertur aduersus omnẽ qui dicitur Deus aut numen, adeò vt ipse in templo Dei sedeat ostentans seipsum esse Deũ. Iccirco credũt pij & illuminati, Deum eius maledictionibus benedicere, benedictionibusq; eius maledicere, ideoq; eius execrationes planè nihil esse metuendas, &c. 2. Thes. 2. Malach. 2.

Certè ab eo tempore, quo isti suam illam immensam potestatem in ecclesia exercuerunt, adeo non continuerũt populum Dei in vnitate spiritus, aut adduxerunt Salua-

tori suo, vt magis dispersérint, & à saluatore suo abstraxerint. Id quod ipsa loquitur res.

Excutiũtur Capita tum accusationis, tum conuitiorum â Pontifice Romano contra Sereniss. Angliæ Reginam in medium per Bullam allata.

DEscendamus iam etiam ad summa accusationis capita, quæ Pius 5. Roman. Pont. Bulla sua Sereniß. Angliæ Reginæ intendit. Confutatis enim his, & asserta Reginæ Sereniß. inclytiq; regni pietate & innocencentia, rursus vniuerso mundo innotuit, condemnationem papisticam floccum esse merum, naucinamq; (quod prouerbio fertur) pellem. Orditur hæc malignè à cõtumeliis conuitiisq;, ne non referat os antichristi maledicum siue blasphemum. Nam Sereniß. Regem Heinrychum 8. huius Reginæ parentem opt. nominat defectorem, vtpote qui à Romana ecclesia, Anglicanam auerterit, ipsius vero filiam Elizabetham, nunc Dei gratia reginam Angliæ Sereniß. nuncupat flagitiorum seruam, vtpote quæ Angliam ad fidem catholicam adductam per Mariam Angliæ reginam, dudum mortuam, iterum attraxerit, reuocaritq; in miserum exitium, sed & hæreticorum facta sit asylum. Nisi verò ita loqueretur Bestia, non ea esse crederetur, quæ reuera est. Sic enim pulchrè complet, quæ de Antichristo sunt scripta. Etenim S. Petrus de Antichristo Antichristianaq; loquens familia, nouit Deus iniustos, inquit, in diem iudicij puniendos seruare, maximè verò eos qui carnem sequentes (id est, carnis libidine non spiritus inspiratione incitati) in impura cupiditate incedunt

Conuitia Papæ in Reges Angliæ.

&

& dominatum (κυριότητα, ordinem inquam dominij vel principatus) deſpiciunt, audaces & ſibi placẽtes (αὐθάδεις præfracti & ſui ſenſus plus nimium tenaces) non horrẽt dignitates conuitijs inceſſere. Cum ipſi angeli, qui ſunt robore & poteſtate maiores, non ferant aduerſus eas, apud dominum, maledicum iudicium. Et quæ ſequũtur 2. Pet. 2. cap. cum his congruunt quæ eadem de re ſcripta reliquit beatus apoſtolus Iudas Thaddæus, dicens, iſti quidẽ carnẽ polluunt, dominatum verò reijciunt, & dignitates conuitijs inceſſunt &c. At in lege Dei mandatum eſt, dijs non maledices, & principem in populo tuo ne execreris. Exo. 22. Hæc ſcilicet magnificiunt Romani Pontifices, à Deo conſtitutis regibus, & principibus palàm maledicentes. Aut quid oro deſignarunt reges, quo meruere tot tantiſq; conuitijs, & tam ſpurcis maledictionibus adoperiri?

Auertit ſanè Rex Sapientiſs. Heynrichus 8. eccleſiam Chriſti, quæ in Anglia eſt, à ſuperſtitionibus Romanis pluribus & fœdis. At ea re quid peccauit? Laudem potius commeruit, defectioq; eius inter virtutes, & non inter vitia numeratur à prudentibus. Præterea tam illuſtris eſt huius principis laus apud omnes bonos pioſq; viros, vt nõ poſſit obſcuriſſimorum horum Romanæ ſentinæ hominũ maledicentia obſcurari. Eruditione fuit ſingulari, ſapientia & prudentia præſtãti, magnanimitate excellenti, omnibuſq; heroicis virtutibus factiſq;, opt. principe dignis, ornatiſs. Nec ego ſolus ita de hoc Rege ſentio: Sũt alij viri graues qui eadem in ipſo prædicarunt. Hic cum anno regni ſui 38. ſub finem Ianuarij, anno domini 1547. fœlicitèr exceſſiſſet è viuis, & teſtamento prius filium Eduardum nouem annorum adoleſcentem feciſſet hæredem, eiq; filias Mariam & Elizabetham ſubſtituiſſet. Eduardũ eius nominis 6. in regno habuit ſucceſſorem. Cuius laudes

Heinrychus 8. Rex Angliæ.

Eduardus 6. Rex Angliæ Pius.

ampliſsimas breuibus complexus præclarus ille historicus Ioannes Sleidanus Comment. lib. 25. Eduardus 6. Angliæ Rex, indubitatæ, inquit, & ſummæ ſpei princeps, Iulij die 6. anno domini 1553 è vita decedit, circiter annorum 16. maximo certè piorum hominum dolore. Nam eius interitum eſt maxima ſequuta rerum Angliæ commutatio. Certè tantæ Regem expectationis, Europa, ſeculis nunc aliquot nullum habuit. Inde à teneris annis optimè formatus & inſtitutus ad pietatẽ atq; literas, non Latinã modo, ſed Græcam, & Gallicam quoq; linguam nouerat, & euangelij doctrinam vehementer amabat, & doctis omnibus hoſpitium dabat atq; patrocinium, Germanis, Italis, Gallis, Scotis, Hiſpanis, Polonis. Hæc ille. Sed & Oſſorienſis Hyberniæ epiſcopus Ioan. Baleus, author eſt, Regem hunc ſeſe etiam ſcribendo exercuiſſe, & inter alia ſcripſiſſe Comœdiam, de meretrice Babylonica.

Maria Regina Angliæ.

De Mariæ Reginæ gubernatione, & reductione eccleſiæ Anglicanæ ad ſedem Romanam, nihil in præſenti dicam, quod narratio illa futura eſſet admodum funeſta, & triſtis, deniq; omnium animis recentior adhuc inhæreat, quàm multis ſit refricanda. Hoc duntaxat his nunc addicio, Romanos Pontifices tunc quoq; vt aliâs ſæpe, fatales fuiſſe Angliæ regno inclyto, ſicuti & alijs in orbe Chriſtiano regnis à quingentis & amplius annis, ſemper fuere perniciosiſſimi. Deus ſuo tempore eos iudicabit.

Elizabetha Regina Angliæ.

Mariæ Reginæ ſucceſſit in regno Elizabetha Regina, non ſerua flagitiorum, vt os maledicum Papæ, calumniando conuitiatur, ſed ſerua fideliſq; famula Ieſu Chriſti redemptoris, & domini noſtri, vtpote liberata per ipſum à ſeruitute peccati, liberaq; facta, vt iam ſit filia Dei, & omnium flagitiorum, etiam Paparum propter flagitia, hoſtis. Etenim fide vera vnico Chriſto redemptori vnicè ad-

adhæret, huic soli regni sui homines suæq; curæ subditos, summa fide & diligentia adiungere studet, viuit ipsa vitam principe Christiana dignam, vitamq; sanctam, & honestam omnibus suis per regnum commendat, & scelera, quo ad eius fieri potest, prohibet atq; coercet. Quod sanè non est subditos suos retrahere in exitium, sed exitio extractos, saluti certissimæ restituere. Qui reginam hanc nouerunt, nihil me hic ad gratiam fingere sciunt. Ac parcius illa delibo, ne quid adulari velle videar. Neq; illa meo indiget patrocinio, cum sua ipsam defendat pietas, & innocentia.

Exulibus dare hospitia, & aperire asyla.

Aperuit illa certè, sicuti & fœliciſſimæ memoriæ frater eius Eduardus 6. asylum exulibus, profugis inquam hominibus, ac profugis, id est, eiectis à papisticis rebuspub. non propter perpetrata facinora, sed propter idololatriam abiectam, & salutarem Euangelij Iesu Christi confessionem. Fateor hos infestos siue infenso quidem esse animo, sed non in Christum, & sacrosanctum eius Euangelium, sed in Papam, & eius artes nequissimas, superstitionesq; execrandas. Fateor hos à Papa nominari hæreticos, sed per iniuriam. Reuera enim Orthodoxi sunt, omnem hæresim execrantes & oppugnantes. Hos qui recipit Christum ipsum, sicuti ipse Christusmet attestatur, recipit, qui etiam ampliſsimum præmium promittit, hospitia exulibus suis aperientibus. Gaudeat ergo Sereniſs. Regina, gaudeat inquam, ob asylum miseris exulibus, ob veram religionē pulsis, apertum. Certò etiam præmia illa ampliſs. promissa à Domino accipiet.

Romana barbaries & crudelitas.

Nihil autem curet Romanam illam barbariem, crudelitatemq; abominandam, quæ & ipsa persequitur immaniſsimè, & alios atrociter persequi, opprimere, & trucidare iubet innoxios. Hoc facturos istos homines prædixit S. Petrus, in sua epistola, in qua cum

feris beſtijs iſtos coniungit. Fugiat crudelia ferinaq; hac exemplaSereniſs. Regina, audiat potius ſanctum Dei prophetam Iſaiam, nomine Dei ſui, dicentem: Pone vmbram tuam veluti noctem in ipſa meridie, abſconde propulſos, & profugos ne prodas. Habitent apud te profugi mei. Sis tu Moab illis latibulum à facie vaſtatoris. Violare ius hoſpitij inter atrociſſima ſcelera, vel inter gentes ſemper eſt reputatum: at hoſpitium præbere miſeris, eccleſiæq; Chriſti, ſemper & maximè in eccleſia Chriſti, recenſitum fuit inter virtutes maximas, omnibuſq; bonis probatum.

Iſa. 16.

Reginam Angliæ monſtroſe non dici ſupremum Regni Angliæ caput in terris.

MOx inter piacula nullis vnquam pianda victimis, & quod Pontifici vniuerſorum, vt videri vult, domino, tam in ſpiritualibus quàm temporalibus, maximè totiſq; inæſtuantem præcordijs bilem cõmouit, quod infida ſit regni ſocietas, illud aſperrimè in Bulla recitatur, & quidem hiſce verbis. Quæ ſe ſolam in ſpiritualibus, & temporalibus dominam agnoſci vult, vſurpando ſibi monſtroſè ſupremi capitis locum. Quæ deniq; ipſos eccleſiarum rectores, & alios ſacerdotes catholicos diſponere, deq; eccleſiæ cauſis decernere eſt auſa, deiectis & oppreſſis catholicis epiſcopis, euectis aũt repoſitiſq; in locum deiectorum, improbis concionatoribus, atq; impietatum miniſtris &c. Hæc videlicet eſt illa Helena, pro qua conſequẽda, Põtifices Romani, iam aliquot ſeculis bellum mouerunt in orbe Chriſtiano, omnibus Regibus & principibus Chriſtianis. Hinc illæ lachrymæ, nimirum & hæc cauſa vnica eſt, ob quam conturbarunt orbem, neq; vel hodie deſinunt turbare, in tanta videlicet euangelij luce,

Pugna Pont. Rom. pro Imperio.

luce, quæ iam corruſcat, totũq; triumphat per orbem, argumentum certiſſimum inuictæ & impudentiæ, & pertinaciæ. Etenim in Euangelio abſq; omni parabola & manifeſtiſſimè, dicit ad eccleſiarum paſtores Dominus, Reges gentium dominantur eis. Vos autem non ſic. Pontifex verò, qui videri vult paſtorum eſſe princeps, ſpreto, imò pedibus etiam proculcato tam diſerto Domini mandato, nõ erubeſcit ſibi vſurpare omnem poteſtatem, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus. Quod quid aliud eſt, quàm omni pudore abſterſo, palàm & impiè rebellare, & contradicere Domino, dicendo, Nos autem ſic, imò non ſimpliciter ſic, ſed longè plus vltra & amplius? Atqui demonſtraui ſuperius euidenter ſatis, paſtores eccleſiarum omnes vocatos & ordinatos eſſe à domino, non ad dominãdum, ſed ad miniſtrandum omnibus.

Monſtroſè ergo ſeruus ſeruorum, omni excluſus dominio, ſoliq; addictus miniſterio, vſurpat ſibi quod duntaxat dominorum eſt in ſublimitate, à Deo cõſtitutorum. Si enim mõſtroſè fieri dicitur, quod vel contra naturam, vel expreſſam Dei ordinationem fit, quid obſecro monſtroſius vel excogitari poteſt, quàm quod is, qui ab vniuerſorum Domino, à quo eſt omnis poteſtas & omne dominium, humilimus inq; ſeruus longeq; infra omnia ſubſellia dominorum deiectus, ſedem regni ſolis conceſſam à Deo regibus, ſibi non tantum vſurpat, ſed inſuper ſibi thronum fingit, quem ſuper omnium Regum thronos, exaltatum vult videri, in quem humilimæ ſuæ conditionis immemor, conſcendens, toti ſe mundo, iam non tantum regem vel imperatorem, ſed & ſummum pontificem, qui vtrumq; gladium, omnemq; poteſtatem in cœlo, & terra obtineat, diabolicè oſtentat? Hic biforme monſtrum, hic hic cernitur fatale & detectabile, horrendum item, & di-

Monſtroſe quid fiat?

Apoc. 17.

Etu mirabile monstrum, in scripturis sanctis titulo meretricis magnæ, sedentis super aquas multas, & super bestiam coccinam, plenam nominibus blasphemiæ &c. insignitum. Monstrum autem non est si caput, cum in ecclesiasticis, tum ciuilibus causis in regno suo dicatur vel Rex vel Regina. Quia ita ordinauit Dominus, & in verbo Dei capita populorum nuncupantur principes, vt veluti secundum naturam non monstrosè fieri dicatur, quod secundum Deum, & verbum Dei fit. Regibus adiungo reginas, non temere, ne Papa fortè arbitretur regno exclusas esse fœminas, aut monstrosè fieri, si dominetur mulier. Scimus enim ea quæ ab apostolo de obedientia muliebri, silentioq; fœminarum in ecclesia Dei dicuntur, nõ detorquenda esse ad Regnum. Nam certum est apostolos Domini, non conuulsisse successiones in regnis, aut hæreditandi rationem regnis consuetam conturbasse. Scimus item non sine laude in sacris literis mentionem fieri præclariss. reginæ Sabeæ: quæ plurima cum Solomone contulit. Neq; nunc quicq̃ dicam de Delbora Israëlis iudice, aliisque heroinis. Certè Isaias non tantum dixit: Et erunt Reges nutritij tui, sed insuper adiecit, Et Reginæ eorum nutrices tuæ. Proni incuruabunt se tibi. Et cætera. Isa. 49.

Reginas licet fœminas, iure dominari.

Reginam Angliæ adeoq; omnem magistratum politicum, non monstrosè decernere de causis ecclesiæ, vel curam suscipere gerereq; rerum ecclesiasticarum, deponere prauos episcopos, & substituere meliores.

Regina Angliæ à Deo Regina est ordinata.

IAm verò extra dubium est, Reginam Sereniss. in regno illo suo Angliæ supremũ caput, vel suprcmam esse dominam, ab ipso Deo constitutam, & genti Anglorum fortissimæ præfectam, nisi falsum

sit,

sit, quod Domini apostolus, & vas electionis Paulus dixit: Omnis anima potestatibus supereminẽtibus subiecta esto. Nõ enim est potestas, nisi à Deo: & quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ. Itaq; quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem accipient. Cum autem verissima hæc esse constet omnibus, consequens est, non modo Angliæ reginam, Dei ordinatione esse reginam, verum etiam Pontificem, qui ei resistit, eiq; se nequiter per iniuriam opponit, graue Dei in se prouocare iudicium. Quando verò Papæ videtur monstrosè fieri, si vel rex vel regina, aut in repub. aliqua, magistratus politicus, de ecclesiasticis decernat causis, sacerdotes vel episcopos deijciat prauos, meliores autem in deiectorum locum euehat, atq; substituat, nec tantum temporalium, sed spiritualium vel ecclesiasticorum quoq; negociorum curam suscipiens gerat, en euidentibus irrefragabilibusq; argumẽtis sanctorumq; regum exemplis comprobando demonstrabo: breuibus tamen, hoc ipsum eorum muneris esse, ideoq; iure diuino & ad æterni Dei mandatum magistratum hæc facere, Pontificẽ verò Romanum illa tyrannicè, & impiè contra Deum sibi suisq; hominibus rapere, & his quibus hæc Deus dedit Antichristianicè eripere. Rom. 13.

Deum omnino velle & ab initio ordinasse vt Reges in regnis, & Magistratus in rebuspub. etiam curam religionis suscipientes fidelissimè curent, eamq; ad verbi Dei præscriptum diligentissimè administrent, illud maximè euincit quod Deus in lege sua mandat districtè principi populi sui, volumen legis tradi, ex quo omnia sua administret. Ac in illa ipsa mandat magistratui, vt examen habeat doctrinarum, & abstrahentes à Deo, & docentes pertinaciter contra legem, coerceat adeoq; & feriat. Le- Ad magistratũ politicũ pertinere etiam curam religionis.

 guntur

guntur hæc Deut. 13. & 17. & aliàs in Libro legis. Quid quod Moses legitimus solus & summus magistratus in populo Dei constitutus, à Deo, non tantum iudices, sed & sacerdotes instituit, singulisq; sua officia etiam Aaroni summo, & à Deo electo pontifici ex verbo Dei, præscribit? Longum nimis foret hoc sigillatim recensere. Similiter & Iosue dux populi Dei religiosissimus, omnibus ordinibus, sacerdotum quoq;, quid singuli faciant, edicit. Neq; enim res ciuiles vel bellicas tantum, sed sacras quoq;, cum per se, tum per alios rexit: omnia tamen singulaq; non ad suum beneplacitum, sed ad sanctam dei legem restrinxit. Sic Dauid sacerdotes, & ipsa sacra ordinauit. In deducenda, & collocanda arca domini (in qua totius religionis dispositio cernitur) consultauit cum suis principibus, deinde retulit omnia ad populum, tandem etiam misit ad sacerdotes & Leuitas, his quoq; quid facerent præscribēs. Legatur primus Paralip. liber, in quo sacerdotum quoq; classes distribuit, singulisq; suum ex deo officium præscribit. Qua re laudem meruit in ecclesia maximam atq; perpetuam. In 2. lib. Paralip. 8. cap. legimus, constituit Solomon iuxta ordinationem Dauidis patris sui, ordines sacerdotum in ministerijs suis, & Leuitas in ordine suo, ad lauandum & ministrandum coram sacerdotibus &c. Et mox, sic enim erat præceptum Dauidis, viri Dei. Nec recesserunt aut prætergressi sunt quicquam de mandato Regis, tam sacerdotes, quam Leuitæ. Idem Solomō deposuit Abiatharem summum Pontificem, eiq; substituit Zadochum. Sed & alia multa huius generis fecit Rex Solomon sapientiss. & Deo dilectissimus, cū approbatione Dei & gloria. Eadem fecerunt cæteri ipsum sequentes reges Iuda, Dauidis sancta propago. Nam Asa deijcit officio sacerdotes idololatria coinquinatos, religio-

Moses.

Iosue.

Dauid.

Solomon.

Reges Iuda.

Asa.

siores

siores his surrogat. Iosaphat sacerdotes conuocat, mandata his dat, & adiunctis aliquot viris principibus, mittit eos per regnum, prædicatum legem Dei. Nec tantum tribunalia iudicum disponit, sed & sacerdotum ordinat officia. Ezechias Rex, quo melior à Dauide, vno Iosia excepto, non erat, reparat templum Domini (sicuti & ante ipsum fecerat Ioas rex, & ipse mandata dans sacerdotibus) sacerdotes item conuocat in Synodum, in qua & orationem habuit egregiam, & bene theologicam ad sacerdotes. Cum his agit plena cum potestate, his præcipiens, Audite, Mundate, Auferte &c. Sed & sacerdotes Regi suo non rebellarunt præfractè, nostrorum more, dicentes, falcem in alienam messem mittis. Non enim tui muneris est, sacerdotibus præcipere, sed promptè subijcientes se principi, sanctis eius mandatis obtemperant in omnibus. Iosiam ordinasse vniuersam religionem, ad normam legis diuinæ, sacerdotibus præcepisse, & alios quidem officio deposuisse, alios autem depositis surrogasse, in sacra historia pluribus exponitur. Plura exempla non congeram, ne fastidium lectori moueam. Ex his autem omnibus concludimus, Reges & Principes in populo Dei, ordinatione Dei, imperiū & ius habuisse in sacerdotes, in summum pontificem, & in totum clerum, & non tantum politicas, sed ecclesiasticas quoq; res ordinasse, ad legem Dei, iure & summa quoq; cum laude.

Iosaphat.

Ezechias.

Ioas.

Iosias.

Interim verò sacra ipsa sacerdotibus, à Deo commissa, Principes non attrectarunt. Id enim ipsis non licuisset impunè, quemadmodum apparuit in Azaria rege, qui & Osias nominatur, lepraq; percussus est, quod contumacius, & contra Dei ordinationem, præsumpsisset suffitum adolere in ara incensi. Aliud enim est sacrificare, ipsaq; sacerdotum munia propria exercere: aliud vero sacerdotia

Officia Deus discreuit, & confundi noluit.

Principes Noui Test. nō minorem habent potestatē principibus vet. Testamenti.

& disciplinam ecclesiasticam cōgruo ordine disponere, et disposita conseruare. Et officia hæc quidem Deus discreuit, nec confundi voluit. Quis autem, nisi Anabaptista aliquis vertiginosus & peruersus, negauerit in Christianorum ecclesia minorem authoritatem, & potestatem esse Regibus Christianis, quàm fuerit in Synagoga Iudæis? An his dicas vel per Christum ipsum Dominum, vel per ipsius Apostolos esse diminutā? Cæterum certissimum est, non per Christū esse diminutam. Nam Prophetæ, & inter hos singulariter Dauid Psal. 2. & Isaias in cap. 49. & aliâs, prædixerunt Reges venturos in ecclesiam Christi, & in hac non tantum more aliorum Christianorum hominum, vitam suam instituturos, sed insuper gubernando, defendendo, & prouehendo res ecclesiasticas, vt reges potestatem exercentes regiam, in ecclesia futuros. Quod quidem argumentum multis ornando illustrandoq; sententijs pertractat egregiè S. Augustinus contra Donatistas, negantes etiam magistratum in rebus ecclesiasticis gubernandis vllas habere partes. Præterea certum est ne Apostolos quidem Domini remouisse fidelem magistratum ab administratione rerum ecclesiasticarum, atq; ita potestatē quā habuerunt Iudæi principes, regibus imminuisse christianis. Disertè enim dicunt, principes esse Dei ministros, & quidem institutos ad plantādum bonum, malumq; euellendum. At quis ita carne est præfocatus, vt hæc velit restringere duntaxat ad carnem, & ad externa, & non etiam ad animas hominum spiritualiaq;? Cum in confesso sit apud omnes rectè sentientes homines, ea potissimum curanda esse à magistratu, quæ ad publicam salutem & reipub. vel regnorum fœlicitatem pertinent conseruandā. Atqui indubitatum est curam fidei religionisq; diligentem facere ad augendam, conseruādamq; fœlicitatem, &

salu-

salutem regnorum, & rerumpublicarũ. Iccirco nemo nisi hostis fœlicitatis populi Dei, negare poterit, curam religionis etiam pertinere ad principes vel magistratus. Idq; eò magis, quod ex lectione historiarum Regum Iuda, & Israëlis, perspicuè discitur, imperia vel regna illa fuisse & esse fœlicissima, in quibus principes fideliter res religionis administrãt: infœlicissima in quibus reges, ecclesiæ res vel neglegũt, vel peruertũt, alienaq; à verbo Dei inuehunt in ecclesiã, & traditionibus humanis omnia cõplent.

Christiani principes tutoresq; ecclesiæ.

Sed & illustria eorum quoq; habemus Imperatorum & principum exempla, qui iuxta prophetias in ecclesiam Christi, abnegato ethnicismo, venerunt, & sese fideles nutritios, curatores, tutoresq; præstiterũt ecclesiæ. Inter quos primus venit numerandus Constantinus, ex egregijs factis, virtutibusq; plurimis Magni nomen sortitus. Hic clausit idolorum templa, & sacra ethnica omnia aboleuit. Nicæam Bithyniæ vrbem, Synodum conuocauit, omnium maximam, & authoritate præstantissimam, & in ea episcopos acriter obiurganit, præcepta episcopis dedit, & res ecclesiasticas ordinauit. Eusebius hunc principem in vita Constantini, non veretur episcopum nuncupare, eò quod res ecclesiasticas diligentissmè procuraret. Verba authoris si quis requirat hæc sunt: Constantinus, inquit, curã suam ecclesiæ Dei impendit. Et quoniã nonnulli varijs in locis inter se disceptabant, quasi communis quidam episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei Synodos conuocauit. Nec dedignatus est adesse, & considere in medio illorum, consorsq; fieri ipsorum, & quæ ad pacem Dei faciebant vniuersis dispensare. Hæc ille. En conuocat Concilium, nõ Papa, sed Imperator. Vnde & Hieronymus Synodũ quandam sibi obijcienti Ruffino, respondit, Doce tu quis Imperator iusserit eam cõgregari: Sed & amplius episcoporum

Constantinus Magnus.

contentio processisset, nisi hic Imperator eam compressisset, ipsosq; redegisset in ordinem. Breuiter, res religionis & ecclesiæ princeps hic non tantum dispensando curauit, sed & plurimum promouit. Quod & Valentinus, Gratianus, & Theodosius Imp. vt in principio Codicis Iustiniani apparet, fecerunt. Et Theodosius Imp. in Nouellis tit. 2. De Iudæis, Samaritanis &c. Florentio, fatetur primam & maximam imperatoriæ maiestatis curam & solicitudinem esse indaginem religionis &c. Et ciuiles magistratus ordinarios fuisse, aut esse debere iudices episcoporum, nominatim edixerunt Imp. Leo & Anthemius L. omnes C. De Episcopis & clericis. Et ante horum imperium Arcadius & Honorius L. Quicunq; C. De episcopis & clericis, episcopum qui publicam quietem perturbaret, & episcopi nomine indignum pronunciant, & sua deijciunt sede, deniq; & exulare iubent &c.

Theodosius.

Iustinianus.

Iustinianus Imp. circa annum Domini 550. aut circiter, plurimas tulit leges, palàm ecclesiasticas res disponentes, & episcopis atq; clericis præcipiens. Et in nouellis Constit. 123. Prouinciarum præsidibus mandat, vt cessantibus episcopis, ipsi Synodos cogant, & leges exerceant, tueanturq; ecclesiasticas. &c.

Carolus magnus.

Quid quod Carolus Magnus Francorum Rex, & Imperator, & filius eius Ludouicus Pius, plurimas promulgarunt leges ecclesiasticas, de doctrina sacra, sacramentorum administratione, & ministris? Ansegisus abbas, leges eorum in 4. digessit libros. At nimis prolixum foret, ex his aliquot recitare leges, quibus commõstrarem, & approbarem id quod alioqui satis est hactenus comprobatum, curam religionis, rerumq; ecclesiasticarum pertinere etiam ad Reges atq; reginas, nec monstrosè fieri, si ciuilis magistratus decernat de rebus religionis, nisi mon-

stra

stra fuerint tot tantiq; Reges, Principes, & Imperatores sanctissimi, quorum hactenus exempla in medium adduxi. At tale nihil in animos incidit piorum, qui indubitatè potius credunt authorem maledicæ huius Bullæ Papam Romanum monstrum esse cùm immanissimum, tùm fœdissimum, sicuti ante quoq; est dictum.

Quæ cum ita indubitatè habeant, nihil prorsus peccauit serenis. Regina Angliæ, imò suum officium fecit, & laudem æternam promeruit, quòd afflictis fessisq; Anglicanæ ecclesiæ rebus succurrens, & religionis causam suscipiens administrare cœpit, hactenusq; piè administauit, deiectis è gradu & munere suo iuratis Papæ episcopis: Papam & Papistica, non Christum Dominum & syncerum eius euangelium prædicantibus, in deiectorum verò locum euectis, Christo Domino & Reginæ iuratis, euangelium Christi per vniuersum regnum, syncerè annunciantibus, absq; omni corruptela Papistica.

Nihil peccauit Regina Angliæ curam religionis suscipiens, & episcopos deponens.

Ministris his Christi, legitimè à Regina ordinatis maledicens maledica Bulla, per contemptum atq; contumeliam nuncupat eos concionatores improbos, & iniquitatum ministros. Sed bene est. Nam Christus Dominus, Beati estis, inquit, cum probra in vos iecerint homines, & dixerint aduersus vos omne malum, mentientes propter me. Præterea non puduit apostolum se nominare concionatorem, vel præconem euangelij. Nec improbi concionatores sunt, qui rectè probèq; iuxta Pauli dictum secant verbum veritatis, studentq; se probatos Deo exhibere operarios &c. Neque vero & iniquitatis ministri sunt, qui Christo & ecclesiæ bona fide, & summa diligentia ministrant.

Improbi concionatores & iniquitatum ministri.

Math. 6.

2. Tim. 1.

2. Tim. 2.

Non dicam in præsentia quàm episcopi isti, quos Regina Sereniss. gradu officioq; suo amouit, & in carceres con-

Episcopi iure in carceres detrusi.

iecit, crudeles fuerint, dum rerum potiebantur, in fideles Christi confessores, quàm denique peruicaciter idololatriæ & Romano idolo cui se iuramẽto obstrinxerunt, adhæserint, pernitiosissimos manifestosq; errores defenderint, infensique & implacabiles euangelicæ veritatis hostes fuerint, adeò vt non potuerit Sereniss. Regina eorum vti opera, neq; debuerit dissimulare istorum rebellionem insidias atq; studia praua, siquidem pacem regni, salutem populi, & profectum Euangelij prouehere, atq; conseruare voluit. Ergo quod hi in carceribus mœrore confecti, miserè, vt Bulla quæritur, extremum diem obierunt, nihil hoc ad Reginam Sereniss. Hoc enim debent isti sua iniustæ pertinaciæ, pariter & malitiæ: debent hoc suæ rebellioni contumaciss ima, & in vniuersum propriæ suæ iniquitati. Ac in ipsa domini lege contra eos, qui propter suas iniquitates puniuntur, & capitis supplicio afficiũtur, pronuntiat ipse iustiss. Deus, sanguis ipsorum super ipsos. Sed & elegantiss. & verissima est illa beati Ioan. Chrysost. sententia. Nemo laeditur, nisi à semetipso. Paulus præterea disertis verbis ad Romanos dicit, Principes non sunt terrori bene agentibus, sed malè. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time: Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est vltor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Cur itaq; isti, quos Bulla luget, bonum non fecerunt? Sic enim laudem & præmia haud dubiè tulissent à Regina benefica, & munificentiss. Sibijpsis ergo non Reginæ imputent commeritas illas suas calamitates. Nihil fecit hic Regina, quod non prius ita fieri præceperit, in lege sua Deus, addè & in legibus Imperatorijs, Arcadius & Honorius L. Quicunq; C. De episcopis & clericis, si-

Rom. 13.

cut

cui supra est dictum. Neq; vero & laudes hic istorum canam, qui in deiectorum sunt substituti locum, & nunc quidem per Dei gratiam, pacificè & salutariter ecclesijs Angliæ ministrant. Ipsa eorum virtus satis eos celebrat, vt meo nihil opus sit præconio.

Reginam Angliæ non hominum opiniones, sibi regnoq; suo sequendas delegisse, sed purum Dei verbum, olim ab Eduardo 6. Rege indagatum receptumq;, neq; hæreticos libros proposuisse, aut obtrudere Regno voluisse.

His pergit egregia, si dijs placet, Bulla, & reliqua suæ accusationis capita attexere contra Reginam. Impia mysteria, inquit, & institutа, ad Caluini præscriptum, à se susceptа & obseruata, etiam à subditis seruanda præcepit. Libros quoq; manifestam hæresim continentes, vniuerso regno proposuit. Errat autem toto cœlo Bulla mendax & calumniatrix: Romanenses fortè alios ex se æstimant, & quoniam ipsi toti pendent ab hominibus, & inter eos reperiuntur millia multa, qui se à Benedicto Benedictinianos, à Francisco Franciscanos, & à pluribus alijs aliter atq; aliter se denominari & volunt, & gaudẽt: & secundum istorum institutа vel regulas præscriptiones vè viuere videri volunt, & gloriantur: iccirco arbitrantur nos quoq; appellari velle à Luthero Lutheranos, à Zuinglio Zuinglianos, & à Caluino Caluinianos, & ab horum institutis dependere totos. Verum non ita est. Venuit hoc fieri in ecclesia Christi Apostolus Paulus, qui ad Corinthios dixit, vnusquisq; vestrum dicit, ego quidem 1.Cor.1.

Christiani veri à nullis hominibus sibi nomina sumunt.

1. Cor. 3. *sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephæ, ego vero Christi. Num diuisus est Christus? Num Paulus pro vobis est crucifixus? aut in nomen Pauli baptizati estis? Et iterũ, cum dicat aliquis: Ego quidem sum Pauli, alter vero ego Apollo, nonne carnales estis? &c. Proinde Christiani vere duntaxat à Christo denominari volumus, atq; gaudemus Christiani, hominũ vero quantũuis excellentium, nomina, hìc nec agnoscimus, nec instituta eorũ, nisi quatenus per omnia cũ verbo dei congruũt, miramur aut recipimus, & cũ recipimus nõ propter illos, sed propter verbũ Dei recipimus. Et Regina Angliæ Sereniss. nullas vnquã à Caluino aut ab alijs viris doctoribusq; præclaris, præscriptiones, quas sequeretur accepit, nunquam ad illos respexit: Licet interim nemo pius aspernetur, si quid illi ex verbo Dei puro docuerunt. Ad verbum enim Domini viuum per scripturas sanctas nobis traditum, Regina in sua illa reformatione vnicè respexit, atq; ita res religionis omnes in ipsum verbum Dei, & non in vllos homines collocauit. De verbo Dei loquens Dauid, Psalm. 119. dicit: verbum tuum Domine perstat æternum in cælo: Verbum tuum lucerna est pedibus meis, & lux semitis meis. Iustus es Domine, & rectum est tuum iudicium: Principes consident, & obtrectãt mihi, quod seruus tuus disserit de decretis tuis, quodq; obtestationes tuæ sũt meæ delitiæ, & mei cõsiliarij. Principes me persequuti sunt absre, cor aũt meũ reueretur verbũ tuũ. Cumq; obtestationibus tuis adhæreã Dñe, haudquaquã me pudefacias. &c. Beatæ memoriæ & immortali gloria dignissimus Sereniss. Angliæ rex Eduardus 6. Iosiæ & Cõstantini Magni Regũ in mũdo præstantissimorum exempla sequutus, reformationem ecclesiæ Anglicanæ instituit. Nam sicut Iosias conuocato in cœtum vel concilium, principibus & sacerdotibus populo-*

Verbi Dei maiestas.

Quam rationẽ sequutus sit Rex Eduardus in reformanda ecclesia Anglicana.

puloq́, primò quidem legem Dei palàm recitari fecit: deinde iuxta legem recitatam, ad verbum & obedienter totum suum regnum reformauit. Et quemadmodum Constantinus, ex toto orbe terrarum doctores, ministrosq́, ecclesiarum collegit in Synodum, & inter hos confidens, dixit. Euangelici & apostoli libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula, planè instruunt nos de sensu voluntateq, numinis. Iccirco hostili posita discordia, sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes quæstionum &c. Sic Eduardus Rex, Londinum in cœtum quoq́, conuocatis principibus episcopis, doctoribusq, quibusq́, præclariss. ex vniuerso regno, admissis etiam clariss. aliarum nationum doctoribus Dei seruis, ex scripturis sanctis cõmonstrari mandauit, quod ipse & regnum eius, in tanta opinionum diuersitate, sequeretur. Ac fideliter executi munus, quod imposuerat Rex, certa capita, eo tempore & concorditer quidem, & ex verbo Dei, consignarunt, quæ & Rex recepit, & incunctanter edidit, hoc prænotata titulo: Articuli, de quibus in Synodo Londinens. anno Domini 1552 ad tollendam opinionum dissensionem, & consensum veræ religionis firmandum, inter episcopos & alios eruditos viros conuenit, Regia authoritate in lucem æditi. Proinde opera & pietate sereniss. Regis Eduardi, ad normam & præscriptum sacrarum literarum, facta est ecclesiæ Anglicanæ Reformatio. Illam ipsam Rege mortuo, Maria Regina rescissam aliquãdiu abrogauit. At eandem rursus, Dei gratia, receptam in integrum Sereniss. regina Elizabetha restituit. Ideoq́, nihil ipsa aliud recepit & vniuerso regno seruandum tradidit, quàm quod frater eius sanctæ memoriæ Rex Eduardus, prior, vt iam dictum est, ex viuo Dei verbo, sibi recipiendum credendum suisq́, tradendum pijssimè, & prudentissimè existimauit.

Quid Regina Angliæ Elizab. proposuerit sequendum regno Angliæ suo.

Vnde iam manifestissimè apparet, falsa & conficta esse, quæ Bulla mendax protulit de impijs mysterijs (odiosè Caluini nomine intertexto) à Regina receptis, & regno Angliæ præceptis.

Nullos libros hæreticos proposuit Regina regno.

Pari vanitate, leuitateq;, & malitia, non erubescit Bulla spargere, Reginam libros manifestam continentes hæresim, vniuerso proponere vel obtrudere regno. Nam Regina nullos libros regno proponẽdos existimauit, quàm eos, quos antea Reginæ frater Eduardus, proponi voluit, imprimis sacrum Bibliorum volumen. Dicere autem hũc manifestas continere hæreses, scelus est nefarium & blasphemum, & impietas omnium maxima. Quanq; interim nonnullos Papæ, & sedis eius propugnatores, nec pudeat nec pigeat palàm literis mandare & docere, ex Biblijs disci hæreses, & qui Biblia habeat, sed absq; sensu ecclesiæ Romanæ legat, nihil habere. Sed de huiusmodi blasphemijs impiorum istorum hominum, nunc nihil dicam amplius. Fortassis loquitur Bulla de libro Precationum, & cæremoniarum ecclesiæ Anglicanæ. At ita etiam ostendi oportuerat, quæ hæreses in eo libro contineantur. Synodus Londinens. cuius iã ante meminimus, eius libri honorificã facit mentionẽ. Nec deerunt qui respondeãt, si hæreses in eo libro, si quidẽ de ipso Bulla loquitur, fuerint significanter indicatæ: nisi fortè pro more insolentium istorum hominum, omne id hæreseos maculã sustineat, quod Papisticum aut sedis Romanæ fœtorẽ non olet, aut resipit. Id quod nullam responsionem meretur.

Certe Regina Sereniss. omnes libros impios hæreticos reuera, & cum nostra syncera religione Christiana pugnantes, prohibet in regno suo distrahi, aut etiam legi. Neq; impunè quisq; impium aut blasphemum in regno librum vel dogma sparserit.

Recì-

Recitantur alia quoq; accusationis Bullæ capita, de abrogata Missa â Regina, & alijs nonnullis superstitionibus, abusibusque sublatis. Exponitur item quid Catholicum, & qui Catholici.

Subiungit istis iam alia quoq; suæ contra Reginam accusationis capita, Bulla. Eadem, Missæ sacrificium, ait, preces, ieiunia, ciborũ delectum, cœlibatum. Ritusq; catholicos abolenit. Et quantum quidem attinet ad sacrificium Missæ, Regina non abs re, sed plurimas easq; iustissimas ob causas Missam abrogauit, sicuti prior Rex Eduardus eandem abrogauerat. In Synodo Londinens. cuius iam semel & iterum meminimus, de Missa hæc extant scripta, oblatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus, quàm actualibus. Neq; præter illam vnicã, est vlla alia pro peccatis expiatio. Vnde Missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionẽ pœnæ & culpæ pro viuis & defunctis, figmenta sunt, & pernitiosæ impostura. Hæc ibi. Est autem Regum officium abolere, & proscribere, atq; punire pernitiosas impostoras atq; impostores. Iure ergo abrogarunt Reges Angliæ Missas, nec ea re quicquam peccarunt, contra Deum, vel contra officium.

Abrogatum Missæ sacrificium.

Heb. 9. 10. Rom. 3. 1. Ioan. 2.

His accedit, quod per Missam sancta institutio Dominicæ Cœnæ, humanis figmentis additionibusq; adobruta, inuersa, & ex publica facta est priuata, mutilata insuper. Nã Dominus oĩbus suis fidelibus vtramq;, quã vocãt, speciẽ dedit. Quod itẽ missifex se in Missa gerit pro mediatore inter Deum & homines, scelus admittit piaculo nul-

Missa corrumpit Cœnam Domini.

Lege Auguſt. contra Epiſt. Parmeniani lib 2.cap.8. Heb.7.

lo vnquam expiando piamine. Vnicum eſt enim Chriſti ſacerdotium, & quidem ſecũdum ordinem Melchizedek, & ideo immigrabile, quod videlicet ad alium ſucceſsione tranſire non poteſt. Rurſus Miſſam obtulerunt vel celebrarunt in memoriam, honoremq; ſanctorum mortuorum, qui nunc in cœlis viuunt. At dixerat Dominus: Hoc facite in mei (non ſanctorum) memoriam. Et S. Paulus prorſus ſibi noluit offerri coronas & tauros, Cui ergo veriſimile videatur, velle illum vt in honorem ſuum filius Dei imoletur in Miſſa? An vero in gloria ſeruiet etiamnum Dominus dominantium, ſuis ſeruis vel miniſtris? Inſaniæ & furores hi ſunt hominum mente captorum. Multas his alias ſimiles abominationes Miſſæ in mediũ poſſem proferre, ſed hoc duntaxat iſtis omnibus ſubijcio, Chriſtum Dominum inſtituiſſe ſacram ſuam Cœnã, ſine pompa & luxu, ſimplicem, frugalem, ſine ceremonijs, at ſimplicate commendabilem, authoritateq; inſtitutoris verendam.

Act. 14.

At Miſſa ceremonioſiſsima eſt, pompoſiſsima, ſumptuoſiſsima, & Perſico apparatu inſtructa, quæ temporis proceſſu cum ſuis abuſibus ita excreuit, vt in quibuſdam imminui, purgariue non potuerit, ſed penitus ipſam abrogari oportuerit. Certè vulgus hominum pluris fecit extulitq; miſsificum miſsas, quàm ipſum Chriſti ſacrificium, quod pauci, vt decuerat, nouerunt atq; æſtimarunt. Et quoniam Apoſtolus Paulus dum ſuo tempore, Cœna abijſſet in abuſum, ad primam Domini inſtitutionem reducendam, reformandamq; docuit: Sicuti & Chriſti martyr Cyprianus, eodem apoſtolico edoctus exemplo, ſuadet & mandat, vt in vero Cœnæ vſu reparando, vel reſtituẽdo fontem petamus, & originem inquiramus, neq; in hac cauſa faciamus aliud, quam quod is fecit, qui ante omnes

1. Cor. 11

Lib. epiſt. 2. epiſtola 3.

eſt,

est, & solus audiendus est: & cum hoc quidem Serenis. Regina in abroganda Missa, & substituēda Domini Cœna, fecerit, nihil sanè peccauit, falsoq; accusatur à Pontifice per Bullam.

Falsissimum & illud est, quod Bulla dicit Reginam Preces, & Ieiunia aboleuisse. Nam abusus & superstitiones in his, non ipsas res bonas, & à Deo nobis commendatas, aboleuit. Id quod res ipsa palàm loquitur. Negari non potest, Preces atq; Ieiunia, apud Papistas adoperta esse abusibus, superstitionibus adde & idololatrijs innumerabilibus propemodum. Non solus apud illos Deus inuocatur, neq; propter solius Christi interuentum creditur solus nos exaudire Deus. Etenim creaturas innumeras vnà cum creatore inuocant, & illas quidem quàm hunc impensius. Ac intercessionem patrociniumq; sanctorum misero popello ita commendarunt, vt parum aut nihil norint de intercessione Christi apud Deum patrem, quæ sola accepta & efficax est. Deum præterea vnà cum Baal colunt & venerantur. Non preces abrogatæ, sed abusus precum.

Ieiunia papistica non sunt ala & auxilia precum, neq; humiliatio, qua nostra declaretur emendatio, sed opera meritoria & planè hypocritica. Quæ si conferantur cum ieiunijs ecclesiæ veteris, deprehendentur nihil esse minus quàm ieiunia. Sed tædet me istorum hic recensere ineptias, hoc tantum dico in præsenti imò repeto, quod iam iam dixi, Reginam Serenis. & Regem Eduardum Serenis. abusus atq; superstitiones, non veras preces neq; vera ieiunia abrogauisse. Ieiunia.

Ac mirum est Bullam etiam in medium adducere delectum ciborum. Si ignorat quanta in his fuerit apud veteres diuersitas, & absq; quidem vicio, adde & libertas, legat Socratem in historia eccles. lib. 5. cap. 22. aut Tripert. Ciborum delectus.

pert. hist. lib. 9. cap. 38. Inter alia hæc scripta sunt relicta. Et quoniam nemo de hoc scriptum aliquod mandatum, ostendere potest: liquet, quod & illam apostoli cuiusq; sententiæ ac voluntati liberam reliquerint, ne metu quisquã vel ex necessitate quod bonum est operetur. Hæc ibi. Nos simpliciter ea sequimur, quæ scimus fidelibus tradita esse à Domino, & sancto eius apostolo: Dominus dicit, quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & ejicitur in secessum: Quæ autem proficiscuntur ex ore, egrediuntur ex corde, & illa impurum reddũt hominem, &c. Matth. cap. 15. Apostolus verò dicit, nemo iudicet vos in cibo aut potu &c. Colloss. 2. Item, omnia munda mundis, immundis & infidelibus impura omnia, &c. Tit. 1. Porrò delectus ciborum, id est delicatissimorum ciborum rationem, vel curam accuratiorem habent hodie in curia Romana, in aulis episcoporum, & lustris vel monasterijs monachorum, ad hoc instituti deputatiq; Apicij vel gulæ magistri, quàm vllibi in vniuerso mundo habeatur. Illis itaque pinguem hanc disputationem relinquimus intactam, tractent ventralia ventres.

Cœlibatus.

Magis autem miror qua fronte audeant homines impurissimi, & fœditatibus fœtẽtes, mancipia cupiditatum & libidinum nefariarum, vllam cœlibatus facere mentionem. Qualis fuerit in monasterijs Angliæ cœlibatus, & cur Sereniss. Rex Angliæ Heynrichus 8. euacuarit, euerteritq; illa in vniuersum omnia, malo sanè cognoscatur ex Centurijs Reuerendi Ossorienſis Hybernorum episcopi, quàm ex mea expositione. Libenter enim castis parco auribus. Deniq; cum Apostolo dico: Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Item, satius est nubere, quàm vri. Et propter fornicationem vitandam, quisq; vxorem suam habeat. Item, si vxorem duxeris, nõ pec-

Centuria 8. folio, 665.

Hebr. 13.

1. Cor. 7.

peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit. Licuit enim & apostolis, in ministerio versantibus, vxores secum circumducere Christianas. Et omnis vetustas fatetur, apostolos domini plerosq; Petrum maximè fuisse coniugatos. Et Paulus non semel disertè dixit: Episcopus sit vnius vxoris maritus, fideles habens liberos. Sed & eorum doctrinam, damoniorum vocat doctrinam, qui coniugia, sicuti & cibos, prohibent. Scio hunc locum aduersarios à se detorquere ad hæreticos veteres, Tatianum, Montanum, &c. Sed apostolus significantissimè loquens, dicit, Prohibentium, & non damnantium. Veteres hæretici damnarunt cibos, & matrimonium in vniuersum. Aduersarij verò non damnant, sed prohibent, libertatem ciborum, & coniugij, iniquis legibus constringentes. Propriè ergo de ipsis loquutus est apostolus. 1. Cor. 9. 1. Tim. 3. Titum. 1. 1. Tim. 4.

Quid verò ritus referunt catholicos, cum si verè loqui vellent, dicerent, ritus superstitiosos, & idololatricos? Impudentiam pariter & improbitatem isti homines, in eo maximè ostendunt, quòd vocabulum Catholicum omnibus suis erroribus prætexentes, simplicioribus turpiter imponunt. Hærent hi ad hanc vocem, & nescio quid singularis sanctimoniæ, & veritatis sibi imaginantur, cum reuera impostores illi sint cacolyci, particularia non catholica proferentes, certorum scilicet coniuratorumq; hominū placita vel figmenta, miseris obtrudentes. Ecclesia catholica (καθολικη) vniuersalis videlicet, ideo dicitur, quod non tantum in vno aliquo loco inueniatur, sed diffundatur, non tantum per orbem vniuersum, quin etiam per omnia secula, & quod extra hanc non sunt plures ecclesiæ. Nam vna tantum vera est, quæ catholica est ecclesia. Vnum modo corpus est, sub vnico capite Christo, in quo solo est salus. Vnde & in sola ecclesia salus. Ergo Romana, Ritus Catholici. Ecclesia Catholica.

ſicuti & Antiochena, & Alexandrina, aut alterius loci eccleſia, nõ eſt catholica eccleſia. Membra enim ſunt duntaxat illius vniuerſi corporis, ſi modo verè ſunt in corpore ſub capite Chriſto, vna fide & doctrina innexi vniuerſitati iſti. Comprehendit ergo Catholica eccleſia, eccleſiam veterum, ante aduentum Chriſti, & noſtram, poſt eius aduentum: atq; adeo ſanctos vel fideles omnes, omnium locorum & temporum, & vt vno verbo dicam, præteritorum, præſentium & futurorum: qui omnes vnum ſunt corpus catholicum, ſub vno catholico capite Chriſto. Ita

Catholica fides & doctrina.

Catholica fides, & doctrina eſt quæ in catholica hac ſonat auditurq; eccleſia, vnico Chriſto capiti ſalutis omnia attribuens, totaq; ex verbo Dei dependens, & omnia ſua ad illa dirigens atq; gubernãs. Proinde

Catholici.

Catholici reuera ſunt, qui vbicunq; locorum, aut quocunq; tempore ſunt, in huius vnius corporis ſocietate, ſub vnico capite Chriſto ſũt, eiuſdem fidei & doctrinæ, omnia ſuæ ſalutis vni Chriſto attribuentes, & toti à verbo eius ſancto & veraciſſimo

Oxthodoxi.

dependentes. Hi ipſi & Orthodoxi dicuntur, nimirum rectæ, & ſecundum verbum Dei ſententiæ, atq; doctrinæ.

Kyrthodoxi.

Sunt Cacodoxi, vel Kyrthodoxi, & non orthodoxi, & catholici, qui non ſunt in compage huius corporis, ſub vno illo capite Chriſto, ex quo vitam hauriunt, ideoq; diuerſæ imò aduerſæ doctrinæ & fidei, qui ſibi nouam fidem, doctrinamq; & ſocietatem adeoq; & nouum caput confingunt.

An Romanenſes Catholici?

Iam verò expendito mihi, lector amicè, in cuius corporis compage & vniuerſitate, aut in qua vnitate doctrinæ & fidei ſint Romanenſes, qui ſe ſolos (propter peculiaria & noua quædam ſua dogmata, & nuper conſtitutam ſub capite Papa papiſticam eccleſiam profitentur, & tuentur) nuncupant catholicos. Dicant illi nobis, an ea quæ iſti tam-

tantopere vrgent, fuerint cognita, & generalia catholicæ & apostolicæ primitiuæ ecclesiæ, fidei & doctrinæ? Ostendant ergo nobis catholici isti soli (suo iudicio) in terris Orthodoxi, an prisca ecclesia apostolica, agnouerit Romã essa caput omnium in orbe ecclesiarum? An omnes Christi fideles de necessitate salutis subesse oporteat Pontifici Romano, quippe qui vtrumq; gladium habeat, & omnes iudicet, à nemine vero sit iudicandus? An primitiua & vetus ecclesia inuocarit mortuos sanctos? An illos pro patronis & intercessoribus apud patrem habuerit? An coluerit hos sacrificijs, ferijs, & id genus cultibus? An construxerit eis templa? An posuerit eis statuas? An imagines Dei & sanctorum in templis Christianorum vtiles sint & necessariæ? An animæ purgatoriana, ignibus vstulatæ, frixæ, & tostæ liberentur anniuersarijs, aliisq; expiationibus pro defunctis? An in Missa Christus adorandus, & credendum imolari in ipsa ipsummet Christum in sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum? An opera nostra sint meritoria vitæ æternæ, & an nos quoq; iustificent? An monachorum status, sit perfectionis status? Et an ante Paulum Thebæum hæremitam, Antonium & Benedictum, in ecclesia fuerint monachorum & nonnarum monasteria? Quod si hæc & alia his similia multa non fuerunt in vsu, neq; cognita, sicut non fuerunt vel in vsu, vel cognita, dicite nobis quare illa iactetis esse Catholica? aut quomodo vos ab his nuncapamini Catholici? Vultis dicam? Falsissimè & iniquissimè, nisi in vestro illo antichristiano genere, Ritus vero quos iactatis & vocatis Catholicos, vetustas retulisset inter idololatricos. Desinite ergo simplicibus imponere generosis Catholicum & Catholicum & Catholicus & Orthodoxus, vocabulis. Norunt vos fideles, qui sitis. Resipiscite itaq; & viuite ve-

rè Catholici nobiſcum, non in Romana Papiſtica ſed verè Catholica Eccleſia, ſub capite Chriſto, qui ſolus eſt ſalus noſtra. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum.

Iure mandauit ſuis Regina Angliæ, ne agnoſcãt Romanam eccleſiam, eiuſq; obtemperent præceptis. Iure item ſuos iureiurando coegit abiurare Pont. Rom. authoritatem & obedientiam.

Iure præcipit ſuis Regina ne agnoſcant Romanam eccleſiam.

PErgit Bulla in ſua illa inſtituta accuſatione, contra Reginam, & ait, clero & populo, ne Romanam eccleſiam agnoſcãt, neue eius præceptis obtemperent, interdixit. Sed & Romani Pontificis authoritatem atq; obedientiam abiurare iureiurando coëgit: pœnas & ſupplicia inobedientibus impoſuit, eaſdemq; ab ijs, qui in vnitate fidei & prædicta obedientia perſeuerarunt, exegit. Cæterũ Regina hic quoq; nihil aliud fecit, quàm quod ipſe Dominus Deus ipſam facere iuſſit, quodq; optimi quiq; in populo Dei proceres fecere priores. Nam quod ordinante Deo, Regibus vel magiſtratibus liceat ſuſcipere curam & adminiſtrationem, tam rerum, quam perſonarum eccleſiaſticarum, & his quoq; præcipere, iam ante ſatis manifeſtè eſt demonſtratum atq; comprobatum. Proinde quod Regina clero & populo mandauit, ex officio ſuo quod debuit fecit. Et quod mandauit, ne Romanam agnoſcant eccleſiam, aut eius obtemperent præceptis, an non hoc ipſum ad præſcriptum verbi Dei mandauit? Etenim in lege ſua mandat dominus populo ſuo, ne audiat diuerſum à lege ſua docentes: mandat deniq; magiſtratui, ne locum vllum cedat vel ſuperſtitionibus, vel falſis doctoribus, quin imò, illas extirpet,

tirpet, & hos coerceat. Ieremias, sicuti & alij prophetæ, idipsum inculcauit atq; vrsit. Inter alia, sic dicit dominus exercituum, ait, ne audieritis verba prophetarum, qui prophetant vobis. Vanitatem enim ipsi docent vos, & visionem cordis sui (figmenta propria) loquuntur, non ex ore dñi. At huiusmodi doctores esse Romanens. non modo luce meridiana clarius est, sed insuper atrociss imos sanæ euangelicæ doctrinæ hostes, imò persequutores, sanguine Christiano madentes. Dominus ipse in Euangelio singulariter vero apud Matth. in 7. & 24. & apud Lucam in 7. cap vetuit audire Pseudoprophetas & Pseudochristos, maxime vltimi illius fatalis seculi. Mandat ne illis credamus, neq; eos sequamur. Et S. Petrus magna cum grauitate, seruemini, inquit, à generatione ista prana. Id quod copiosius & diligentius prosequitur in posteriore sua epistola. Sed & S. Paulus congruens cum doctrina S. Petri, describit corruptos vltimi seculi gubernatores ecclesiæ, homines certè peruersos, nõ lumina, sed faces, ecclesiæ, iubet fideles ab eis recedere. Loca si quis requirat, inueniet in 2. ad Corinth. 6, & in 2. ad Thes. 2, & in 1, ad Timot. 4. 6. & in 2. ad Tim, 3. & 4. cap. Idem apostolus, fugite inquit ab idololatria. Et S. Ioannes, cauete vobis, ait, ab idolis. Quid quod cœlitus reuelatur Ioanni in Apocal. 18. cap. ac præcipitur, Populemi, exi è Babylone, ne participes sitis delictorum eius, neuè de plagis eius accipiatis. Rectissimè itaq; & secundum mandata Domini fecit Regina, quando suis mandauit, ne Romanam, id est, papisticã agnoscant ecclesiam, neuè legibus aut præceptis Papæ, quippe vel iniquis, vel cum verbo Dei pugnantibus, obtemperent.

Ierem. 23.

Acto. 2.

1. Cor. 6.

1. Ioan. 5.

Verum illud maximè dolet & vrit, quod Regina inreiurando suos abiurare coëgit Papã, eius authoritatem,

Iure coegit Regina abiurare Papam & papatum. 2. Reg. 11.

quæ reuera nulla est, & ipsum papismum. Cæterum hac quoq; in re quid designauit Regina, quod non antea fecerunt Sanctissimi Sacerdotes & Reges Deo dilecti? Nam de Ioiada fideli in domo Dei sacerdote legimus, quod pepigerit fœdus inter Dominum Regem atq; populum, vtiq; iureiurando ipsos astringendo, secundũ legem, Domino, & separanda ab omni superstitione & idololatria. De

1. Ezræ. 10. *Ezra sacerdote legimus, surrexit itaq; Ezras, & sacramento adegit, vel adiurauit, principes sacerdotes & vniuersum Israelem, vt agerent iuxta verbum hoc. De Asa rege Iuda, sic legimus 2. Paral. 15. Inierunt fœdus, vt quærerent Dominum Deum patrum suorum, in toto corde suo, & in tota anima sua. Et quicunque non quæreret Dominum Deum Israelis, interficeretur, siue paruus esset, siue magnus, siue vir, siue mulier. Et iurauerunt Domino, voce magna, atq; cum iubilo, clangentes tubis ac buccinis. Addit scriptura: De huiusmodi iuramento omnes Iudæi lætati sunt. Nam toto corde suo iurauerãt, & quæsierunt Deum tota volantate: inuentusq; est ab eis. Et dedit eis Dominus requiem circumquaq;. Eadem leguntur de Regibus sanctiss. Ezechia, 2. Paral. 29. cap. & de Iosia. 4. Reg. 23. & 2. Paral. 34. cap. Proinde rectè fecit Regina Angliæ, & clerum & populum sacramento astringendo ad veram religionem, contra falsam.*

Reges ac magistratus cogere subditos debere ad bonum, nec cuilibet permittendum, vt id sibi deligat sequendum, quod ipsi videtur optimum.

ILlud verò iniquissimum videtur Romanensibus, & fortè alijs quoq; hac de causa minus rectè sentientibus, quod Regina pœnas & supplicia in obe-

obedientibus imposuit, easdemq; ab ijs exegit, qui in obedientia sedis perseuerarunt. Sunt enim qui existimãt neminẽ cogendum ad bonum, aut ad veram religionẽ vel fidem, sed liberũ cuiq; primittendũ sequi, quod ipsi eiusq; conscientiæ videatur optimum, id est, nullam à quoquam esse exigendam rationem, cuius sit religionis, & si sit Papisticæ, non in ipsum esse inquirendum, sed suæ permittendum constientiæ. Ideoq; neminem propter violatam euangelicam religionem, aut propter neglectas bonas leges, quas ipse pro bonis non habet, puniendum. Et quidem quo ad coactionem ad bonum vel fidem, & religionem veram, docuerunt olim Donatistæ hæretici, sicut hodie quoq; isti quos commemorauimus & Anabaptistæ, neminem cogendum esse ad fidem vel ad bonum, sed quemlibet permittendum suæ conscientiæ &c. Contra illos copiosè disputauit D. Aurel. Augustinus, & quidẽ ex scripturis, & rationibus euidentibus, & cum scriptura congruentibus. Quo nomine eius testimonijs credendum arbitror, ideoq; & quædam, ad hanc causam singulariter facientia, in medium nunc profero.

Lib. contra Petilianum 2. cap. 83. Petiliano Donatista dicebat, Absit, absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem compellamus. Huic respondet Augustinus, & ait, Ergo ne pergemus paria proferre cum hæreticis? aut dicere Dominum Deum in scripturis hypocrisim plantare, cum minis & castigationibus perpellit ad bonum? Dauid dicit, Bonum est mihi Domine, quod me humiliaueris. Et Ieremias, Castigasti me Domine, & castigatus sum, veluti vitulus indomitus. Quod si nemo compellendus est ad bonum, cur quæso toties iubet mortalium sapientiss. Solomon, castigare liberos? Qui parcit virgæ, odit filium, ait. Tu quidem percutis eum, sed vir-

Hæretici dicebant neminem cogendum ad fidem.

Psalm. 119.
Ierem. 31.

ga liberas animam eius à morte. Quotidiana experiẽtia, rerumq; natura euincit vehementissimos in hominibus esse affectus, quibus nisi medeamur & frenum inijciamus, perdunt & se & alios, qui facilè & leui aliqua castigatione poterant seruari. Dum insaniunt homines, vim & castigationem vituperant: vbi autem redierunt ad mentem, ac cernunt iam palàm, à quantis, per eos, qui eos coëgerunt, sint liberati malis, gaudent se salubriter esse castigatos, & laudant iam violentiam, quam prius vituperarant. Sunt ergo inter recentiores Scripturarum interpretes, qui idem cum August. sentientes, scripserunt, Quis dubitet Deo acceptiorem esse iustitiam, quæ coacta sit, donec spontanea reddatur, quàm liberam iniustitiam, quæ quotidie magis magisq; inualescit, donec tãdem desperata fiat? Item, Magistratus coercet atq; cogit hæreticos, ne pergãt, & se & alios perdere. Et hoc quidem per se bonum est, & officium magistratus. Quod si coacti faciunt quod faciunt, & neminem porrò seducunt, bonum opus est. Si verò perseuerant in sua pertinacia & inuolũtario, magistratus certè nihil peccauit, & peccatum istorum ipsi non imputatur. Verum redimus ad S. Augustini testimonia.

Auguſt. etiam in ea aliquãdo ſententia fuit, neminem cogendum.

Idem de vi coercendis hæreticis ad Vincentium contra Donatistas Epist. 48, Mea primitus sentẽtia erat, inquit, neminem ad vnitatem Christi cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primum opponebatur mihi Ciuitas mea (Hippone) quæ cum tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam, timore legum Imperialium, conuersa est: quam nunc videmus

demus ita huius vestræ animositatis pernitiem detestari, vt in ea nunq̃ fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi commemorabantur nominatim, vt ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est: Da sapienti occasionem & sapientior erit. Rursus, Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & qui lathargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest amplius amare quàm Deus? & tamen nos docere non tantum suauiter, verum etiam salubriter terrere non cessat. Putas neminem cogi debere ad iustitiã, cum legas patremfamiliãs dixisse seruis, quoscunque inueneritis cogite intrare, cum legas ipsum primum Saulũ, postea Paulum ad cognoscendam ac tenẽdam veritatem, magna violentia Christi cogentis esse compulsum.

Prouerb. 9.

Prouerb. 27.

Idem in Epist. 50. ad Bonifacium Comitem, vbi est, inquit, quod isti clamare consueuerunt, liberum esse credere vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem, prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quomodo ille, qui pœna corporis ad Euangelium intrauit coactus, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in euangelio laborauit: & quem maior timor compulit ad charitatẽ, eius perfecta charitas foras mittit timorem. Cur ergo nõ cogeret ecclesia perditos filios, vt redirent, si perditi filij cœgerunt alios vt perirent?

Dominus ipse coëgit ad fidẽ.

Rursus in eadem epistola idem Augustinus, quod dicunt, inquit, qui contra suas impietates, leges iustas constitui nolunt, non petijsse à Regibus terræ talia Apostolos,

Apostoli pro subsidio suæ religionis,

contra hostes nihil postularunt a magistratu.

nion considerant aliud tunc fuisse tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui eis pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret? Quando adhuc complebatur illud propheticum: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Nondum autem angebatur, quod paulò post in eodem psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite ei in timore, & exultate cũ tremore. Quomodo ergo reges seruiunt Deo in timore, nisi ea quæ cõtra iussa domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo & plectendo? Aliter enim seruit, quia homo est, aliter quia etiam & Rex est. Quia homo est, ei seruit fideliter viuendo: quia vero etiam Rex est, seruit, leges iusta præcipẽtes, & contraria prohibẽtes, conuenienti vigore, sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum & illa excelsa, quæ contra Dei præceptum fuerant extructa, destruendo. Sicut seruiuit Iosias, talia et ipse faciendo. Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius idolum frangendum, in potestatem Danieli dãdo, & inimicos eius Leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonozor, omnes in regno suo positos, à blasphemando Deo, lege terribili, prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino Reges in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges.

Psalm. 2.

Quomodo seruiant Reges Domino?

Quare Apostoli non petierunt subsidia a regibus?

Cum igitur nondum Reges Domino seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania, aduersus Deum, & aduersus Christum eius, vt prophetarũ prædicta omnia complerentur, non vtiq; tunc potuerunt impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim

ordo

ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium præstare Deo: sicut prædixerat Christus, & gentes fremerent aduersus Christianos, & omnis potentia martyrum vinceret. Postea vero quàm cœpit impleri quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei, quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis vel pudicus sit vel impudicus? Cur enim cum datum sit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non seruare leuius est animam Deo, quàm fœminam viro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem (quis dubitauerit?) ad Deum colendum homines duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis constat) prius vel timore vel dolore compelli, vt postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opera sectari. Hæc hactenus ex libris Augustini recensuimus, quæ hac in causa minimè contentiosis satisfacere putamus

Quomodo & qua sententia Aug. homini tribuat liberũ arbitrium lege apud ipsum, lib. de corrept. & gratia cap. 1 De spiritu & Lit. ad Marcel. cap. 30. De peccatorum meritis & remiss. lib. 2. cap. 18. & contra 2. Pelag epist. lib. 4. cap. 6

Quod autem non cuilibet permittendum sit, vt in fidei religioni suè negotio, id sibi suo arbitratu deligat, quod sequatur, & optimum ipsi videatur, olim lege dei est prohibitum, prout scriptum in hæc verba legitur: Ne singuli quod vobis rectum videtur feceritis. Obserua & audi omnia, quæ ego tibi præcipio, vt bene sit tibi, & posteris tuis post te, cum feceris quod bonum & placitum est in conspectu Dei tui. Quod ergo præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec detrabas. Quin

Non cuilibet permittendũ vt id sequatur quod ipsi videtur esse optimum.

imò fons est & origo omnium malorum, errorum, hæresum, schismatum, dissensionum, & turbarum, si cuiq; liberum sit sequi proprij sui capitis phantasmata, & cordis sui cogitationes adinuentionesq;. Id quod probat omnium ætatum historia, & nostri quoq; temporis experientia. Sed & in prophetis subinde legas: Recedite vel conuertimini à vijs vestris. Et, Hæc elegistis in vijs vestris, quæ displicent mihi. Item, Ambulate in vijs meis, & bene erit vobis. Et quid est Papistica religio aliud, quàm hominũ voluntate & beneplacito, contra regulam verbi Dei, inuenta paratáq; via. A qua Deus magistratum iubet suos auertere, & in viã Dei reducere. Dauid Rex & Propheta hoc nomine summè summo Deo placuit (licet in nonnullis se contaminasset turpiter) quod bonam cordis sui intentionem, suiuè arbitrij placita, neq; Deo pro cultu obtulit, neq; alijs suis hominibus obseruanda pertinaciter obtrusit, sed simpliciter & syncerè, in via Dei perstitit, sicut ipsemet exponit. Psal. 119. At Rex Saul omnem apud Deum gratiam amisit, quod præterito mandato Dei, id sequutus est quod ei sua dictabat bona cordis intentio. Seruarat enim in holocaustum, quod iusserat Dominus, non quidem seruare in sacrificium, sed perdere & abolere penitus. Vnde Propheta Samuel ad Saulem dixit: Nũquid voluntas Dei in holocaustis & victimis, vt in obediendo voci Dei? Ecce obedire, quàm sacrificare melius est, & auscultare quàm adeps arietum. Quia sicut peccatum diuinationis, aut magiæ est rebellio, & idolum & theraphim transgredi. Et quando tu contempsisti vel reiecisti verbum Domini, abiecit te ne sis Rex. Habent in his breuibus, qui sapiunt, quid sentiant, de ijs quæ ipsi suo arbitratu in religione sequendum eligunt, quod nihilo meliora sunt, ipsa magia & idololatria, sceleribus coram

Deo

Deo omnium atrociſsimis. Sed & quorſum, obſecro, præcipitur nobis obedientia, quam non Papæ & Papiſmo, ſed Deo magiſtratuiq́, & eorum legibus debemus, deniq́ idololatriam, & omnes peregrinas religiones fugere iubemur, ſi ſinguli quod nobis libet, & eligere & facere poſſumus? Verum hæc nunc clariora ſunt, quàm pluribus oporteat illuſtrare.

Reges atq; magiſtratus iure punire, adeoq; & cædere eos qui religionem veram violant, & ſanctis ſe legibus obijciunt. Concluditurque hęc diſputatio.

ET quamuis poſteriùs illud axioma aduerſariorum, neminem propter violatã euangelicam religionem, aut propter neglectas bonas leges quas ipſi pro bonis non habent, puniendum, ex prioribus; quæ ex Auguſtino adduximus, facile iudicari poſſit: ne quid tamen dubij & inexcuſsi maneat, breuibus & euidentibus argumẽtis comprobabo, iure à magiſtratu eos puniri, adeoq; & cædi, qui religionem veram violant, & ſanctis ſe legibus obijciunt.

Manichæi & Donatiſtæ quondam, vt & antea dictum eſt, exiſtimarunt religionis gratia neminem eſſe puniendum aut cædendum. Idem ſentiunt hodie & Seruetani. Cæterum ſcriptura diuina diſertè mandat magiſtratui ne parcat pſeudoprophetis, quinimò iubentur rebelles Deo legibus & ſanctis Iudicibus, occidi abſq; omni miſericordia. Loca ſunt in ſcripturis illuſtriſs. & nemini non notiſſima. Legatur in Deut. cap. 13. & cap. 17. In Exodo hæc recenſetur lex: Qui immolat Dijs præterq́ Deo ſoli,

A Deo iubentur occidi pſeudoprophetæ.

Exod. 22.

ſoli, exterminetur. Paulus vero (ne quis forte dicat iudiciales has leges, nihil ad nos pertinere) diſertè dicit: Iuſto lex non eſt poſita, ſed legis contemptoribus, & ijs qui ſubijci neſciunt, impijs & peccatoribus, neſarijs, & prophanis. Et quæ ſequuntur 1. Timoth. cap. 1. Certè in Leuitico lapidibus adobruitur & interficitur homo blaſphemus. In libro Numerorum ob violatum Sabbathum religionemq; contemptam occiditur, qui ligna collegerat. Occiduntur & millia aliquot eorum, qui vitulum erexerant atq; coluerant. Helias magnus Dei propheta celebri ſacrificio ad montem Carmeli in torrente Kyſon mactauit pſeudoprophetarum centurias aliquot. Heliſæus, Domino mandante, inungit Iehu in regem, ad hoc, vt domum Achabi extirpet, & ſacerdotes Baalis vna imolet omnes. Ioiada Dei ſacerdos ſanctus, Athaliam reginam ob impietatem, gladio interfecit. Et Ioſias Rex Deo dilectiſs. ſeuijt in oſſa pſeudoprophetarum quæ & concremauit, vt oſtenderet in mortuis, quid viui meruiſſent.

Leuit. 24

Num. 15

Exo. 32

3. Reg. 18

4. Reg. 9

4. Reg. 11

4. Reg. 23

S. Auguſtini hac de re ſententia.

S. Auguſt. Tract. in Ioan. 11. contra Donatiſtas diſputãs, exemplo ex ſcriptura Nabuchodonozoris oſtendit Chriſtianos principes iuſtè animaduertere in Donatiſtas, Chriſtum & doctrinam eius vilipendentes. Inter alia, Si rex Nabuchodonozor, inquit, gloriam Deo dedit, quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit vt decretum mitteret per regnum ſuum, quomodo iſti (noſtri Chriſtiani) reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, ſed ſeipſos liberatos de gehenna, quando vident Chriſtum à quo liberati ſunt, exufflari in Chriſtianis, quando audiunt dici Chriſtiane. Dic te non eſſe Chriſtianum? Talia facere volunt, & ſalutem talia pati nolunt. Nam videte qualia fecerit, & qualia patiuntur. Occidunt animas, affligunntur in corpore.

Dan. 3

Sem-

Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Hæc ille.

In nouo Test. habemus illustrissima maximorũ Christi apostolorum Petri & Pauli exempla, quorum alter Ananiam & Saphyram ob mendacium, simulatamq; religionem sternit: alter Elymam ceu erutis oculis, propterea quod inuerteret vias domini rectas, cæcum reddidit. Neq; admodum refert cædatur ali quis gladio, pertica, lapide, poculis aut verbis. Occidere est occidere, quocunq; modo vel instrumento id fiat. Et Deus egit per apostolos, qui verbis iudicium dei denunciando facinorosis, ipsos interfecerunt, aut in corpore mulctarunt. Idem Deus agit per magistratus sententiam atq; gladium. Nam vltio Dei est, qui ipsam magistratui exercendam, vel de noxijs sumendam tradidit, ideoq; & per magistratum punit occiditq;. Act. 5. Act. 13. Rom. 12. & 13.

Et quidem Reges vel magistratus etiam in ecclesia, ideo à Deo acceperunt gladium, vt publicam tranquillitatem tueantur, omnesq; eos puniant, qui tranquillitatem perturbant. Atqui experientia testatur, per Pseudodoctores publicam turbari tranquillitatem. Vnde consequens est, eos in facultatibus, corpore, aut vita, pro delicti crimine, iure puniri, imo deberi mulctari. Præterea certum est, magistratum accepisse potestatem ferendi gladio blasphemos, adulteros, homicidas, sceleratos, facinorososq; homines. Cum autem pseudodoctores sint blasphemi, homines q; à veritate abstrahant ad mendacium, & ipsos anima & corpore perdant, quare nõ animaduerteret in tales magistratus? Cur datus magistratui gladius.

Extant leges multæ sanctissimorum Principum christianorum promulgatæ in negotio religionis, præcipientes punire idololatras, apostatas, hæreticos & impios. Nam Leges Christianum Principem hac de re.

ex multis S. Constantini Imp. recitaba. Scribens enim ad Taurum P. P. Placuit omnibus locis, inquit, atq; vrbibus vniuersis, claudi protinus templa, & accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificijs abstinere. Quod si aliquid fortè huiusmodi perpetrauerint, gladio vltore sternantur, facultates etiam perempti, fisco decernimus vindicari. Et similiter puniri rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint.

Eadem prope vulgatis edictis mandant, Theodosius & Valentinianus, in codice Theodosiano Tit. 2. Item Valentinianus & Martianus, in codice Iustinianeo Tit. 11. lib. 1. Eusebius in vita Constant. lib. 3. integram historiæ inserit epistolam Imp. Constantini promulgatam contra hæreticos. Idem cum Arianis peperisset diu, sed absq; fructu expectato, tandem præfractos exilio perpetuo, & infamia mulctari, eorumq; libros conremari, eosq; qui istos celauerint supplicio affici iussit.

In pœnis adhibenda est moderatio.

Interim agnosco moderationem in puniendo esse adhibendam, rationem item eorum habendam qui vel nocenti malitiosaq; pernicacia, vel innoxio & simplici errore delinquentes, sui sensus contra veram religionem nimis sunt tenaces. Omnis enim in hac negotio iniquitas, & crudelitas abominãda est: sicuti & illud maximè execrandum est si religionis veræ prætextu puniantur qui vere religiosi & Orthodoxi sunt, hostesq; idololatriæ & omnis superstitionis atq; hæresum. Quæ de re in alijs meis libris maximè in 5. lib. contra Anabaptist. disserui. Ex quibus hæc repetita his inserui.

Concluditur responsio ad capita accusationis.

Cæterum hæc huc pertinent omnia, quod Bulla inter accusationis capita non postrema, contra Reginam, illud recensuit, quod pœnas & supplicia inobedientibus im-

impoſuit, eademq; ab ijs exegit, qui in obediẽtia ſedis perſeuerarunt, quaſi hac re iniuſtè & crudeliter, contra innoxios nihilq; tale meritos, ſeuierit, atq; ita enormiter peccauerit. Pergit præterea impudenter mentiri bulla, catholicos epiſcopos in carcere mœrore confectos, extremum diem miſere obire, quàm vanum hoc ſit, teſtatur res ipſa vniuerſo regni populo notiſſima. Imo (quemadmodum à viris fide digniſſimis accepi) epiſcopi papiſtici humaniter & longe aliter quam ſunt meriti, in regno Angliæ tractantur. Quorum alij in Archiepiſcopi, vel in epiſcoporũ ædibus libere verſantur, lauteq; & gratis paſcuntur ipſorumq; menſis interdum accumbunt: Alij liberrimè habitant velin ſuis ædibus vel apud amicos: pauci admodũ, nimirum euangelij & omnis pietatis hoſtes, & homines turbulenti & quietis impatientes in cuſtodiam quidem, ne omnia turbarent traditi ſunt: vbi ſatis libere vagantur, nec mœrore confecti extremum diem obeunt, imò viui, valentes atq; hilares ætatem degunt. Hi nuper tyrannidis papiſticæ ſatellites, atq; miniſtri, pios homines Euangelium Chriſti profitentes ob leuiſſimas ſæpe ſuſpitiones comprehenſos, & in ſqualore carceris, atq; tenebris, vinculis, fame, tormentis diu excruciatos, excarnificatoſq; mortibus crudeliſſimis mactarunt Romanus (ſi dijs placet) Pontifex quod cuſtodia iſti detineantur, indigne tractari queritur: vnaq; clementiſſimam reginam crudelitatis condemnat. Ex ijs quæ hactenus ſunt expoſita, luculẽter appareat omnibus, reginã illa ipſa re, planè nihil peccaſſe, ſed in his omnibus, ſumma cum laude, ſuum feciſſe officium. Ergo quod accuſationem Bulla his concludit verbis: Illa omnia tam eſſe nota, vt nullus omnino locus excuſationis, defenſionis, aut tergiuerſationis ſit relictus: prodit ſuam confidentem proteruiam pariter & ſtul-

ſtultitiam pudendam. Nihil enim tergiuerſatur Regina, nihil excuſat, adeoq; nihil deprecatur penitus. Nam quod fecit, ſe feciſſe, non negat, ſed fatetur liberè, nec erubeſcit, aut metuit. Nam ſcit, dicit ac affirmat ſe feciſſe ea iure, et iustè, & ex officio quæ fecit. Quæ quidē omnium efficaciſſima est defenſio, inaniſſimam hanc Bullam, forti diſflans ſpiritu. Quæ verò non fecit, aut aliter fecit, quàm Bullæ cauillatur, ipſa ſeſe ſua tuentur abſq; patrono innocentia.

Concluſio generalis.

Et hactenus quidem tota hac diſputatione noſtra, neruos declaratoriæ illius Bullaris ſententiæ, contra Sereniſs. Angliæ Reginam, à Pio. v. promulgatæ, incidimus. Nam primum quidem oſtendimus plenam illam Papæ poteſtatem, ex cuius vi ſententiam ſuam promulgauit, fictam eſſe & ementitam, ideoq; & ſententiam ex ficta nullaq; poteſtate pronunciatā, eſſe vaniſſimam. Deinde paulò copioſius ad ſingula accuſationis capita, Reginæ à Bulla intentata, & propter quæ ſententiam in ipſam fert, reſpondentes, fucumq; calumniarum abſtergentes, demonſtrauimus, omnia & ſingula illa capita eſſe falſiſſima: reginamq; in ijs omnibus, quibus accuſatur, nihil deliquiſſe penitus, quin imò in illis omnibus ſumma cum laude ſuum feciſſe officium. Ex quibus omnibus diſputationis huius partem poſteriorem etiam concludentes totam, dicimus & affirmamus, luce meridiana illuceſſere clarius, ſententiam illam declaratoriam contra Reginam Angliæ à Pio v. latam, iniquiſſimam pariter & iniuſtiſſimam eſſe. Nam ſententiæ ab æquis iudicibus feruntur ſecundum ius & æquum. Porrò nullum ius, nulla æquitas iubet condemnare nondum alicuius conuictum ſceteris intentati adeoq; innoxium planè. Ipſius enim Dei iudicio iudex iniuſtus, iniquus, & abominandus eſt, quiſquis nō-

dum

dum conuictum atq; adeò innoxium condemnat, & conuictum vel noxium liberat vel absoluit. Audiuntur quidem iure à iudicibus accusantium aocusationes, vt & vicissim eorum qui accusantur responsiones: verum nondum ritè probatis accusationum capitibus, accusatus iure nihil damni contrahit, quin potius omni damno, si legitima & euidenti responsione accusationis capita depulerit, leuatur, omniq; absoluitur culpa. Cum autem ex prædisputatis certò constet, omnes Papæ accusationes hactenus cõtra Angliæ Reginam intentatas, & per Bullam in mediũ prolatas, iustis, apertis, euidentibusq; rationibus vel responsionibus confutatas & dissolutas, atq; ideo Sereniss. Reginam nullius intentati sceleris esse conuictam, pariter & certò etiam constat, sententiam Papæ declaratoriam contra innoxiam Reginam, nullius sceleris intentati conuictam, iniquissimam pariter & iniustissimam esse. Sed & iudicem in hac causa Papam, iniustissimum & abominandum esse iudicem. Vt iam non dicam, quod idem ille contra ius & fas se in hac causa & accusatorem, & iudicem constituit, quodq; quicquid in buccam venit, ipsiq; collubuit, effutit, nihil autem causæ suæ probat atq; confirmat.

Reginam Angliæ hæreticam non esse, & iccirco anathemate non percussam, neq; à corporis Christi vnitate, rescissam.

ET quamuis abunde iam confutata sit Bulla, reginæq; defensa & declarata innocentia, Papæ quoq; in medium exposita tyrannis immanis, iniuria atrox, & enormis in iudicando iniustitia, vt eius declaratoria sententia iniustissima, facilè & iure Argumentum consequentiũ.

optimo præteriri, contemni, adeoq; & rideri possit, nõ pigebit tamen illam, vel ex abundanti, sigillatim excutiendo perstringere. Habet ea quatuor potissimum capita. Principio declarat, & definit Papa Reginam Angliæ esse hæreticam, hæreticorumq; fautricem, & iccirco anathemate confossam, & à corporis Christi vnitate resciissam.

Cæterum multis hactenus ostensum est Reginam Catholicam & Christianam esse, nec vllius vel hæreseos, vel criminis conuictam. Vnde consequens est Papam, quis & qualis sit, huiusmodi cõdemnatione innoxiæ ac orthodoxæ, semetipsum prodere atq; declarare, è numero earum videlicet, de quibus locutus Petrus, dixit: Dominationem contemnunt, audaces, præfracti, qui gloria præcellentes non verentur conuitijs incessere. Et reliqua 2. Pet. 2. Edita est à Reuerendis Angliæ episcopis, ante annos aliquot Apologia pia & docta, in qua 3. potissimum capite, ostendunt, Regnum Angliæ cum hæreticis & hæresibus nihil habere commune. In eadem ingenuè & sanctè fidem suam confitentur, & se sanæ & Christianæ religionis esse, clarè demonstrant, eleganter & verè omnia accusationis capita, & calumnias Papistarum diluentes. Quid doctores, Theologi & veteris ecclesiæ Christi ministri, (legem ad ad abolendam, Lucij 3. à Gregorio nono relatam in Decretal. lib. 3. Tit. 7. De hæreticis, ad quam Papæ sua iudicia suasq; condemnationes omnes instituunt, atq; formant, viri prudẽtes, atq; pij semper iudicarunt esse tyrannicam, & cum iudicijs sanctæ, & religiosæ vetustatis pugnantẽ: vnde eam nullo prorsus nomine dignamur, & iudicata ad eam formata, & pronunciata inter tyrannica deputamus) diuerint hæresim, & quos iudicarint esse hæreticos, manifestum est, quam multis referre oporteat. Non tamen mihi temperare possum, quin recitem in præsenti, vetu-

Quis hæreticus?

stissimi

stißimi scriptoris Tertulliani hac de re sentẽtiam, De velandis virginibus: Hæreses nõ tã nouitas, inquit, quàm veritas reuincit. Quodcunq; aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Et in Præscript. hæret. idem author: Hæreses dictæ, ait, Græca voce, ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, sibi elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio indulgere licet. Sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicq; ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam, fideliter nationibus assignauerunt. Itaq; si etiam angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis. Hactenus Tertul. Proinde cum Regina ex suo arbitrio proprio, nihil elegerit, quod regno suo tradiderit, sed veritatem scripturarum propheticam, & apostolicam suis sequendam duntaxat commendauerit, hæreseos crimine liberata est penitus. Cum verò Romanensia dogmata & Papistici ritus, à nostris dogmatibus & ritibus differentes, nihil sint aliud, quàm proprio hominum arbitrio dogmata adinuenta, & electitij cultus, viderint Romani quibusnam hæreseos crimen iustius attribuatur & adhæreat tenacius. Quid quod Imperatoriæ leges, omnes sub imperio constitutos, iubent eam sequi religionem, quã S. Petrus tradidit Romanis, ac addit: Hanc legem sequẽtes Christianorum Catholicorum nomen amplecti, reliquos dementes & væsanos iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere declaramus. At regina in regno suo nihil aliud, quam Apostolicam doctrinam vult florere, catholica ergo non hæretica est. Nec fauet hæreticis, neq; hæreses in regno suo doceri sustinet, neq; hæretica labe

contaminatos fouet. Quinimò Romanensia dogmata, & ritus Papisticos ideo ex vniuerso suo regno expulit, ne quid contra dogmata apostolica, & ritus Christianos ferre diceretur.

Anathema Iouis Tarpei nihil verendum.

Proinde fulmen illud Anathematis Tarpei vel Iouis Romani, quo Reginã videri vult confossam, brutum est fulmen, & non magis metuendum, quàm Herculi, sicut antea quoq; dictũ est, Caci fulmina fumi atq; caligines. Eÿciebatur quondam è Synagoga Pharisaica cæcus ille à Christo illuminatus, sed ea excommunicatio adeo illi non nocuit, vt tum demum verè reciperetur in Christi familiam ab ipso Christo Domino, qui in Euangelio nobis vaticinans quæ nunc complentur à Papa, dixit: Alienos à Synagogis facient vos. Sed & tempus venit, vt quisquis interficiat vos, videatur cultum præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neq; me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit tempus illud, reminiscamini eorum, quæ dixerim vobis.

Ioan. 16.

Regina nõ rescissa à corporis Christi vnitate.

Iccirco Reginæ ne tantillum quidem nocet quòd dicitur rescissa à corporis, non quidem Christi vnitate, sed Papistici corporis consortio. Nisi enim ab hoc esset resecta, sanè non posset numerari inter vera viuaq; membra corporis Christi, neq; haberet patrem in cœlis, quæ vt filia obediens agnosceret impurum illum patrem in rupe Tarpeia sedentem, & filios suos filiasq; instar Saturni deuorantem. Iubet enim Dominus suos è Babylone exire, modo velint plagas Dei euitare, & veram consequi salutem. Et in vnitate corporis Christi, quæ ecclesia est Dei viuentis, non conseruamur obedientia & veneratione Romanæ ecclesiæ ac eius Pontificis, sed vera secundum Euangelium Dei in Christum fide. Hac qui caret, aut qui hanc impugnat, neq; cum Christo neq; cum ecclesia communionem habet,

habet, vt vt vnitatem corporis Christi prædicet.

Falso & tyrannice decernit Papa Romanus Reginam Angliæ regno & omni iure regni priuatam.

DEinde decernit Papa in declaratoria sua sententia, Reginam Angliæ regno, & omni iure regni, & quocunq; dominio dignitateq; & priuilegio priuatam. Quis verò constituit Papam supremum in vniuerso mundo monarcham, qui solus regnat & omnia mundi regna sub se habeat, regesq; & principes veluti vasallos aut beneficiarios obstrictos sibi teneat, quos in regna subuehere, vel ex regnis pro sua libidine possit deturbare? Superius dum verba Ieremiæ, Constitui te super reges & regna &c. tractaremus, apertè & abunde satis, vt pluribus iam nihil sit opus, ostendimus, Papam à Deo non esse constitutum super reges & regna, quinimò illum contra apertum domini cum exemplum tum mãdatum, sibi vsurpare principatum potestatemq; in reges & populos. Istis ergo hæc tantum iam adijcimus, falsò imò mera tyrannide & nullo iure, Papam sibi, summa cum impudentia, hanc in reges & regna arrogare potestatem, quam hactenus mortalium nemini tradidit Dominus. Nam sapientiss. Dei propheta Daniel dicit: Domini est sapientia & potentia. Ipse est qui mutat tempora, & mutationes temporis. Ipse est qui deponit reges, & instituit reges. Idem ante ipsum quoq; & Iob, & in Psalmis suis Dauid affirmauere. Sed & historia sacra idipsum exponens copiosissimè, narrat Saulem à Deo, Israelitico populo, ordinatum regem, per Samuelem prophetam, per cuius internuncium abiecit

Papa non habet potestatem euehendi in regna & deijciendi ex regnis reges.

Dan. 2.

Iob. 12.

1. Sam. 9. bo. 15. 15.

iterum eundem, idq; propter inobedientiam & rebellionem, ac in locum delecti Saulis, electum esse Danidem, virum secundum cor Dei. Rursus sub filio Dauidis Solomone, regnum esse discissum, decemq; regni partes Ieroboamo, à Deo, internuntio propheta Ahia, esse datas, nec aliam ob causam à Solomone, & posteris eius partes illas regni dece abalienatas, quàm quod ipse Solomon animum suum abalienasset à Deo, & uxoribus alienigenis impensas ad idololatriam instruendam, exercendamq; submini-
1. Reg. 14. strasset. Iteram vero deijcitur throno Ieroboam, nullam aliam delectionis ob causam, commemorante eodem Ahia propheta, quàm quod non audisset verbum Domini, sed pro consilio humano, suaq; intentione bona, fecisset sibi Deos alienos, easq; proposuisset colendos populo Israelitis, nec purè adhæsisset verbo Domini. Delecti sunt etiam
1. Reg. 15. 16. alij reges Israelis regno, à Deo, vt Baasa, Ela, Acab, & alij his similes, neq; alias ob causas, quam quod Ieroboami idololatriam sequi maluissent, quam verbū Dei. Quid quod Dominus ad Iehu, qui & regem Achab, cum uxore Iezabele, & omnem eius posteritatem deleuerat, adde & eundomnes Baalis sacerdotes sustulerat, templum quoq; Baalis diruerat, & in latrinam redegerat, dixit, quandoquidem studiose feciti quod rectum est in oculis meis, & iuxta omnia quæ erant in corde meo fecisti domui Achab, filij tui quarta generationis sedebunt tibi super solium Israelis. Huius generis alia plurima, non minus illustria, commemorare possem, nisi breuitati, quantum quidem eius fieri potest, studerem.

Deus opera prophetarū vsus est in deijciendis regibus.

Hæc satis in hac recessu, vt omnibus liquido appareat, Deū ipsum & non Papam creare reges, & tollere, adeoq; & regere omnia ac singula transferre, concutere, euertere, reparare & confirmare. Licet quem in quondam admi-

 nistra-

nistrarit per internuncios suos prophetas, vt Samuelem, Ahiam, Heliscum atq; alios: Papa tamen nullam, sicuti isti, vocationem ad hæc habet, nullum huius rei mandatũ vel verbulo uno à Deo accepit, quin imò ne quid huius tentet, præcipit. Quid quod Deus quasi extraordinarie per prophetas, & non per summos Pontifices, qui cum erant in Israele à Deo ordinati, reges deposuit, nimirum ne committerentur inter se regnum & sacerdotium. Proinde etsi Papa esset summus pontifex, tamen ad ipsum nõ pertineret Regum depositio. Præterea si quis expenderit, quare Deus Reges illos, per internũcium prophetarũ suorum, regno priuauerit, habet Regina Angliæ, quod ipsam consoletur atq; confirmet, habet & Papa quod ipsum in numerum Pseudoprophetarum inserat, terreat atq; euertat. Ahias enim dicebat ex ore Domini ad Ieroboamũ: quod si audieris, quæ ego præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis, sicut fecit Dauid seruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum firmam. Et reliqua quæ leguntur, 1. Reg. 11. Sed & iam nunc recensui ex verbo Dei, quid præmij à Deo Iehu retulerit, quòd idola, idololatriam, & idololatras sustulit. Ergo cum & Regina Angliæ in regno suo iuxta verbum Dei reformauit, idola & idololatriam Baal, & Baalis sacella atq; tẽpla, sacrificulos item, vnà cũ omnibus abominationibus papisticis sustulit, regnum non amisit, sed fortius sibi potius adiunxit, deumq; & protectorẽ propitiumq; habet, & si perstiterit, per gratiã Dei, in fide, semper habebit. Non est itaq; quod Sereniss. Reginæ depositionis sententia Papæ peruersissima, vel tantillum commoueatur. Deus enim in verbo suo contrariam Papæ sententiam pronunciauit, ita vt Papa inter pseudoprophetas manifestissimè deputetur. Erant & Ioachimi, Iechoniæ, & Zedechiæ Regum Iuda temporibus,

pseudoprophetæ, idololatriæ fautores, qui fœlicia his idololatris regibus denuntiabant, & Babylonio regi, quem Dominus regno inaugurarat, quemq; regnare volebat, & qui postea temporibus Danielis ab idolis ad verum Deũ conuertebatur, maledicebant miserumq; populum ab eius abstrahebant obedientia. Verum grauissimè reprehendebãtur & confutabantur isti, à sanctis & veri Dei prophetis, Ieremia & Ezechiele, qui omnia mala in idololatras prædicebant à Deo effundenda: sicuti & rerum euentus, tandem comprobauit, Deo in illos largiter effundente ipsum malorum mare. Idem Deus post 70. annos regnum quoq; Babyloniorum, potissimum ob idololatriam, vt apud Danielem 5. cap. legitur, euertit, & monarchiã transtulit ad Persarum regem Cyrum, qui Deum verum Israëlis prædicauit, & populum Dei liberum ex captiuitate dimisit, templumq; & sacra Deo vero restaurare iussit. Proinde non est quod post tantam verbi diuini lucem, & historiarum sacrarum pulcherrimum consensum, vlli sibi principes vel magistratus sancti, metuant, ob Papæ Baalistæ damnationes, priuationes, atq; minas, propter abiecta idola & propter papismum nouum illum Baalismum conculcatum, intentatas atque denunciatas. Nam omnes illi Deo probantur, qui verbum Dei reuerentur, & purè secundum verbum Dei reformant, omniaq; sua in religione instituũt. Atqui manifestissimum est, verbo Dei damnari, & reijci omnem idololatriam, & fictitium vel humano arbitrio electitium dei cultum, arbitrio traditionesq; hominũ, extra & contra dei verbum inuentum atque receptum.

Pon-

Pontificem Rom. non posse eos qui iurauerunt Reginæ, à præstito absoluere iuramẽto. Fidem enim datam, non tam bonis, quam malis, esse seruandam.

INde Romanus Pont. omnes quotquot in Angliæ regno inclyto, quomodocunq; Reginæ iurauerunt, à tali iuramento, ac ab omni prorsus dominij, fidelitatis, & obsequij debito absoluit. Rursus verò interrogamus vnde hãc ille potestatem habeat, & quis nam deorum, aut Dæmonum iusserit illum eos sacramento præstito, omnique debito, & iusta obedientia soluere, quos ipse Deus verus in vero verbo suo palàm, & quàm arctissimè ad fidem seruandam constringit? Non potest ille suæ huius potestatis nequiter confictæ, vel verbulũ vnum ex verbo Dei proferre. Meritò itaq; hæc sacrilega eius libido, atq; temeritas conspuitur, fideles q; norunt sibi, ad mandatum Domini dei, obediendum esse, fidemq; seruandam Serenissimæ Reginæ.

Nam quod Pontificij nonnulla pro sua perfidia tuenda adducunt ex Gratiani 22. quæst. 4. & potissimum illud Isidori: In malis promissis rescinde fidem: & quæ huius generis alia colligit Lombardus, sub finem 3. Sentent. libri. Et quod Rex Israëlitarum Iehu sacerdotes Baalis ad sacrificandum inuitauit, inter sacrificandum autem, fide violata, omnes vnà trucidauit. Quodq; Constantiensi Concilio visum fuerit, hæretico non seruandam esse fidem, nihil prorsus faciunt ad causam ipsorum iniquissimam ornãdam. Etenim sano sensu libenter admittimus, quæ à Magistro adducuntur, Dauidis & Herodis exempla, ac Ambrosij, Isidori & Bedæ sententias.

In malis promissis rescindenda fides.

tias. Sed addimus, iuramentum à proceribus, & populo Reginæ Angliæ præstitum, non esse numerandum inter mala promissa, & temeraria vota, vel iuramenta, sed inter ea promissa atq; iuramenta, quæ Deo mandãte ac probante sunt promissa, & iuramento confirmata. Dicimus ergo iuramenta illa omnino esse præstanda, & minimè rescindenda. Quisquis autem hæc rescindere docet, is in semetipsum indignationem Dei prouocat, & obsequentes in graue Dei iudicium perpellit.

Iehu rex Israëlis trucidat sacerdotes Baalis.

Factum Iehu sanè trucidantis sacerdotes Baalis, Deus nõ improbauit, quippe qui palàm dixit illum fecisse, quod rectum sit in oculis Dei, & quod fuerit in corde Dei. Sed singulare vel peculiare hoc fuit factum, sicuti & quædam Sansonis, & nonnullorum aliorum heroum, quæ non proponuntur in Scripturis imitanda quibuslibet, non ritè à Deo ad eadem vocatis. Scimus enim nobis viuendum esse legibus, nõ consuetudine, non singularium factorum imitatione. At lege præcipitur nobis, ne mẽtiamur, aut vllum dolo malo fallamus, & multò minus periurio nos polluamus. Notissima sunt pijs quæ Augustinus ad Consentium disputauit, contra mendacium. Addere his possumus Iehu regem, nullo se iuramento solenni obstrinxisse sacerdotibus Baalis, sed tantum inuitasse spe data amplissimi opimiuè à se offerendi sacrificij: Sacerdotes autem sua malitia, pertinacissimoq; idololatriæ studio cæcatos accurrisse frequentes, ideoq; dudum meritas suæ inuictæ impictatis, odij item implacabilis in veram religionem, veroq; Dei ministros, Deo vltori pœnas dedisse. Neq; hic illud videtur prætereundum, quod Iehu diligenter scrutari iussit, esset ne in templo Baalis inter sacerdotes nefarios, aliquis Dei propheta: Significans itaq; cum nocentibus Deoq; exosis idololatris, veros Dei ministros atq; cultores

non

non esse affligendos aut interficiendos. Id quod institutum, conatumq; Romani Pont. vnicè & cupidè in exitiũ verorum Dei ministrorum cultorumq; inhiantis, validè oppugnat atq; infringit. Cupit ille idololatras prouehere & seruare, veros autem Dei ministros, atq; cultores opprimere atq; perdere. Atq; vt hæc efficere valeat, nihil illum pudet simulare & dissimulare, mentiri, fallere, doloq; malo agere, insidiari, peierare, adde & crudeliter tandem trucidare.

An fides data non sit hæreticis seruanda.

Vt vero donemus hæreticis, & infidelibus fidei nostræ hostibus, fidem non esse seruandam, euincendum tamen erat prius, illum esse hæreticum, cui fides violari possit aut debeat. Cæterum Reginam Angliæ orthodoxam, catholicam, & non hæreticam esse, superius abundè, euidẽter & clarè satis demonstrauimus. Est itaq; ei fides seruãda, neq; vllo iure diuino, vel humano sacramento solui possunt, qui iuramentum ei præstiterunt. Et Concilium Constãtiense in alijs quoq; compluribus, maximè in definitione 13. Sessionis apertissimè contra Christum Dominum, & sacrosactum eius Euangelium, decretum promulgauit. Iccirco nulla eius est authoritas apud viros pios & cordatos. Neq; enim vlla Concilia, qualia qualia sint aut fuerint, quæ cũ vero, æquo, iusto, scripturisq; discordant, vllo haberi in precio iubentur, vel ab ipso S. Augustino.

Conciliũ Cõstantiense.

Et quidem 26 circiter anno à celebrato Constantiens. Concilio, exercuère beati illi patres (iuxta regulam suam Hæreticis infidelibusq; non seruanda fides) suam illam potestatem in absoluendo Ladislao rege Vngariæ atq; Poloniæ, à iuramento Amurathi Turcarum principi, legitimè præstito. Iulianus enim Cæsarinus Eugenij 4. Pont. Rom. Leg. prolixam admodum orationem coram rege

Hinc disce quid sit infidelibus non seruare fidem datam.

Ladislao Regnique proceribus habuit, in hoc vnicè institutam, vt Regi principibusque persuaderet, Turcarum principi infideli pacem pactam esse rescindendam, & fidem datam violandam, seruandum autem esse fœdus ictum cum pontifice, qui Dei vices gerat in terris. Quod nisi feceritis, aiebat ille, vereor ne veluti Iudas Christum, ita vos eius vicarium prodere videamini, neue Deum, quem hactenus rebus vestris præsentem, & propitium semper habuistis, vobis post hæc infensissimum sentiatis. Verum audite, postq; Regi, proceribusque placuisset Turcæ fidem pactam violare, & nihil tale expectanti, horridum inferre bellum: quàm præsentem & propitium, iuxta Cæsarini pseudoprophetæ vaticinium, habuerunt Deum?

10. Nouemb. an. 1444.

Certè cum in conflictu omnium maximo, ad Varnam, ad extrema vtrinque viderentur spectare omnia, depromptum Amurathes è sinu codicem initi iuratique sanctissimè fœderis, explicat, intentisque in cælum oculis: Hæc sunt, inquit ingeminans, Iesu Christè, fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere, per numen tuum sanctè iurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfidè Deum suum abnegarunt. Nunc Christe, Si Deus es (vt aiunt, & nos hallucinamur) tuas measque hic iniurias, te quæso vlciscere, & his qui sanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas ostende. Vix hæc dixerat, cum prælium, quod anceps & dubium diu fuerat, inclinare (vt olim quoque temporibus Clodonei primi Francorum Regis factum legimus ex inuocatione Christi in pugna contra Almannos) cœpit, mutataque Christianorum fortuna, quod tota iam die pugnatam esset, lassitudine superati, terga dantes, miserè trucidabantur. Cecidit in ea pugna Rex ipse, alioqui princeps optimus & laudatiss. optimates & fortissimi quique, cecidere. Cecidit & ipse Tolum-

lumnius augur, Cæsarinus. Vix tertia pars exercitus regij redijt. Platina in vita Eugennij 4. numerat cæsorum Christianorum supra triginta millia, omnemq; huius infortunij culpam refert ad Papam Eugennium. Historiam integram, qui cognoscere cupit, certè memorandam & horrendam inueniet copiosè descriptam apud Antonium Bonfinium Vngaricarum rerum Decade 3. lib. 6. sub finem. Idem author quoq; diligenter admonet Deũ iustũ in Christianis vltũ esse fidem violatam. Ex quibus omnibus liquidò claret, quàm probetur Deo placitũ Concilij Constantiens. Hæreticis vel infidelibus fidẽ nõ esse seruandã.

Veritas certè catholica docet disertè fidem datam sacramentum vel iuramentum legitimum semper seruare, tam malis quàm bonis, id est, fidelibus pariter & infidelibus. Dominus enim Deus noster in lege sua omnibus & singulis mandat ne mentiantur, neue periurium, fidem inuiolando datam, admittant. Reuera autem mentitur qui voluntate fallendi, falsum profert. Aiunt enim vulgo mentiri aliud non esse, quàm contra mentem ire. Nam mentientes aliud quàm in animo habeant loquuntur. Et Gelasius in Decretis 22. Quæst. 4. beatus Paulus: Ille inquit, falsum iurando mentitur, qui scit falsum esse quod iurat. Est enim mendacium vt August. ait, falsa vocis significatio, cum voluntate fallendi. Vt cum Papa ijs quos iudicat esse hæreticos (reuera autem orthodoxi & catholici sunt) incolumitatem corporis & vitæ promittit, sed hac consilio mentis suæ promittit, vt hac spe eis aperta, deceptos in discrimen vitæ corporisq; & fortunarum adducat, id est, crudeliter perdat, id quod in mente habuit, cum salutem fallaciter promisit, ideoq; promisit, vt perdere posset. Est autem hoc mendacium turpe, periurium execrandum, & abominandum. De qua lo-

Fides data legitime seruanda est semper & omnibus. Exo. 20 Leuit. 22 Ephes. 4.

quutus propheta dixit: tu domine odisti omnes patrantes iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendacium: virum sanguinum, & fraudulentum vel perfidum abominatur Dominus.

Psal. 5.

Ergo cum Iosue & Seniores Israëlis cum Gabaonitis, licet falsum proponentibus, & quasi populo Dei imponẽtibus, fœdus pacis pepegissent, etiam cum fraudem intellexissent, nihilominus fidem eis datam non violant. Vnde Ambrosius in Officijs, & August. ad Bonifacium admonent, & quidem rectè, etiam hostibus & malis infidelibusq; hominibus pactam esse seruandã fidem. Quid quod post secula aliquot, fides data Gabaonitis violata à Saule, punitur in populo Israëlitico, fame graui, nec expiatur culpa, priusquàm septem viri ex posteris Saulis sub Dauide suspendio perimerentur. Quemadmodum descriptum legitur 2. Sam. 21. Et sicut Dominus in Euangelio futurũ dicit vt Niniuitæ & Regina Saba, populum Iudaicum in die iudicij sint iudicaturi, ita dubium non est M. Attiliũ Regulum, atq; adeo ipsum Senatum Romanum, homines Ethnicos, iudicaturos patres illos beatissimos, cum hi pro nihilo ducant fidem violare datam, iuramento inquam confirmatam. Romani veroetiam ad miraculum vsq; hostibus quoq; fidem seruauerint. Historiæ plurimis in locis hæc testantur.

Ieremias docet fidem datã infidelibus, seruandam.

Ieremias propheta multis & serio populum Dei hortatur, vt fidem datam Nabuchodonozori, licet Principi ethnico vel infideli, seruent, ipsi obediant, & pro eius salute apud dominum intercedant. Ezechiel quoq; cap. 17. loquens de Zedechiæ perfidia, contra Nabuchodonozorem admissa: Spreuit iuramẽtum, inquit, irritum fecit fœdus, manu sua data. Hæc omnia fecit, iccirco non liberabitur. Sic enim dicit Deus, viuo ego, si non iuramentum meum, quod

quod violauit, & fœdus meum, quod irritum fecit, tradidero super caput eius, &c. Apertiora hæc sunt & nostro negotio accommodatiora, quàm multis verbis exponi atq; adaptari necesse sit.

Non aliter docuerunt in Nouo Test. Apostoli Christi. Nam Petrus docet disertè fidem præstare etiam prauis dominis, atq; potentatibus. Famuli, inquit, cum timore subsint dominis suis, non solum bonis ac humanis, sed etiam prauis, &c. Paulò ante loquutus etiam de magistratu, iubet fideles ei parère. Sic enim velle Deum, vt benefaciendo obduremus ora stultorum hominum. Scimus autem apostolorum tempore dominium fuisse apud ethnicos siue infideles. Similiter docens beatus Paulus: quicunq; sub iugo sunt serui, inquit, suos dominos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina male audiat. Id quod Apostolus loquitur de ethnicis & infidelibus dominis. Etenim his fideles opponit, & subiungit: Qui verò fideles habent dominos, ne contemnant quòd fratres sint, sed magis inseruiant, quòd fideles sint &c. Ad eundem modum loquitur ad Rom. 13. & Tit. 3. & alibi, de fide obedientiaq; præstanda magistratui ethnico. Ex his ad eundem quoq; modum colligendo dicimus: Si fideles prauis & infidelibus obstricti sunt dominis, quanto magis Angli iubentur à Deo, fidem & iuramenta seruare Reginæ suæ, fideli sanctæ & beneficæ?

Apostolica de hac re doctrina.

1. Tim. 6.

Diuinis consentiunt etiam humana. Nam vt ex multis vnum hoc in medium afferã, coïit Synodus, satis frequens, apud Toletanam vrbem, in Hispania, circiter annum Domini 630. alij numerant 681. sub Sisenando Hispaniarum rege, in qua negotium iuramenti principibus præstiti est diligenter tractatum. Vulgo nuncupatur Synodus illa Concilium Toletanum iiij. Inter alia statuunt

Concilium Toletanum 4. iubet seruare datam principibus fidem.

in hæc verba, Can. 74. Multarum gentium, vt fama est, tanta extat perfidia animorum, vt fidem sacramẽto promissam Regibus suis, obseruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum retinent mente perfidiæ impietatem. Iurant enim Regibus suis, & fidem quam pollicentur, præuaricantur: nec metuunt volumen illud iudicij Dei, per quod inducitur maledictio, multaq; pœnarum comminatio super eos, qui iurant in nomine Dei mendaciter. Quæ ergo spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? Quæ fides vltra cum alijs gentibus in pace credenda? Quod fœdus non violandum? Quæ in hostibus iurata sponsio stabilis permanebit, quãdo nec ipsis proprijs regibus iuratam fidem conseruant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? Illi, vt notum est, immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosq; Reges proprias conuertendo uires. Et cum Dominus dicat: Nolite tangere Christos meos. Et Dauid: Quis, inquit, extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Illis nec uitare metus est periurium, nec regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur nec violatur. Quod si in bello fides vigeat, quanto magis in cæteris seruanda est? Sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus regum suorum promissa fides. Quia non solum in eos fit transgressio, sed & in Deum, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est quod multa regna terrarum cœlestis ira ita permutauit, vt pro impietate fidei, & morum, alterum ab altero solueretur. Vnde & nos cauere oportet casum huiusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. Si enim Deus angelis in se præuaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt,

Sacrilegiũ ergo docet Anglos Papa, dũ a iuramento Reginæ suæ præstito absoluit.

Obseruate hæc.

runt, vnde & per Isaiam dicit: Inebriatus est gladius meus in cœlo: quanto magis nos nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem, eodem sæuiente Dei gladio, pereamus? Quod si diuinam iracundiam vitare volumus, & sæueritatem ad eius clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum religionis cultum atq; timorem, custodiamus erga principes nostros pollicitam fidem atq; sponsionem. Non sit in nobis, vt in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdolæ mentis perfidia, non periurij nefas, & coniurationum nefánda molimina. Nullus apud nos, sub præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo meditetur interitum regum: sed defuncto in pace principe, Primates totius gentis cum sacerdotibus, successorem regni, communi consilio, constituant, vt dum vnitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ, gentisq; dissidium per vim, atq; ambitum moliatur. Isa. 34. Piè admodũ.

Quod si hæc admonitio mentes nostras nõ corrigit, & ad salutem communem cor nostrũ nequaq; perducit, audi sentẽtiã nostrã: Quicũque ergo ex nobis vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione, vel studio, sacramẽtũ fidei suæ, quod pro patriæ gentisq; Gotthorum statu, vel conseruatione regiæ salutis pollicitus est, temerauit, aut regẽ nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrãnica regni fastigiũ vsurpauerit, anathema sit in conspectu Dei patris & angelorũ, atq; ab ecclesia catholica, quã periurio prophanauerit, efficiatur extrancus, & ab omni cœtu Christianorũ alienus, cũ oĩbus impietatis suæ socijs. Quia oportet vt vna pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos. Et hãc suã definitionem iterũ, & tertiò ingeminant, atq; inculcando repetunt. Quæ quidem hactenus recensui. Plurima alia huius Hic iustus est anathematismus, contrarius planè Papistico anathemati.

ius generis adducere posſem, niſi hæc vtentibus ratione ſufficere ſcirem.

Concluditur locus de abſolutione præſtiti iuramenti.

Abeat ergo quò dignus eſt Papa cum ſua illa, non apoſtolica, ſed apoſtatica, diabolicaq; abſolutione, qua principes & populum Angliæ omni fide obedientiaq; abſoluit, impudenti vultu & apertè docens, impiam, contra Reginam inſtitutam à Deo, rebellionem, perfidiam, atq; execranda periuria, quæ Deus ſemper, pro ſua iuſtitia, odio ſummaq; indignatione proſequutus eſt. Ferijt ipſum quoq; anathematiſmus ille, qui iam iam recitatus & à Patribus in 4. Toletana Synodo, iuſtè contra perfidos pronunciatus eſt, quod ille non tãtum ſit perfidus, ſed etiam doceat perfidiam. Quinimò declarat ille hac veluti nota certiſsima, ſe eſſe illũ peccati hominem, de quo loquutus legitur apoſtolus: Vt enim ipſe peccatis ſceleribusq; ſcatet atq; abundat, ita omnes populos per orbem Chriſtianum, edictis ſeu decretis ſuis in peccata & ſcelera pellicit, atq; perpellit. Cane ergo tibi, ô Anglia, ab hoc homine peccati, quem Dominus mox è cœlo deſcendens, ad iudicandum viuos & mortuos, abolebit, & in ſtagnum ignis, ſicut Ioan. verè futurũ prædixit, ardens ſulphure, præcipitem dabit, vnà cũ omnibus illis qui ipſi, id eſt, antichriſto libentius quàm Chriſto paruerint.

2. Theſ. 2.

Apoc. 19.

Proceres & populus Angliæ non debent parere mandato Papæ, neq; eius timere anathema. Oſtenditur autem quid Deo præcipiente, ſubditi ſuis debeant principibus, & quàm grauiter Deus ſemper puniuerit rebelles atque ſeditioſos.

POſtremo autem in Declaratoria ſua ſentẽtia Pont. Romanus vniuerſis Angliæ proceribus, & ſubditis Regi-

næ populis, mandat, sub pœna anathematis, ne posthac legibus & mandatis Reginæ obediant. Quid ergo? Nimirũ vt fide deserta, abiectoq; obedientiæ iugo, in Reginã dominã suam, à Deo ipsis datam, per tumultũ, insurgãt, regno deturbent, & parricidio nefario trucident, seditionem item inter ciues excitent, fideles omnes opprimant, atq; conficiant, cædibus omnia compleant, & cœlum terræ misceant. Hæc hæc sunt beati huius patris consilia atq; mandata, petita ex patre illo suo, de quo Dominus in Euangelio loquutus, dixit: Vos ex patre diabolo estis, & desideriis patris vestri vultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in veritate nõ stetit, quia veritas in eo non est &c. Ioan. 8. Quibus ergo cordi est pietas, salus propria, & honor, pax, atq; incolumitas patriæ (vt merito cuilibet bono & pio viro cordi esse debẽt) longissimè fugiant diabolica, truculenta, sanguinariaq; hæc Papæ decreta. Nec est, si non obedierint Papæ decretis, quòd metuant se incursuros indignationem omnipotentis Dei. Papa enim contra Deum & verbum Dei verum, huiusmodi decreta promulgauit. Nam Deus verbo suo contradictoria planè docuit, & ex diametro cum Decretis Papæ pugnantia: nempe quemlibet hominem, suo principi vel magistratui debere, & honorem & timorem deferre, tributa item vectigaliaq; persoluere, & iustam subiectionem obedientiãq; præstare. Et hæc quidem ad hunc modum tradita leguntur verbatim ab apostolo ad Rom. 13.

Sanguinarium Papæ edictum

Obediendum est principibus

Etenim reuerenter, & honorifice de principibus vel magistratu, & sentiendum, & loquendum est subditis, adeoq; bonis omnibus, quippe quos Deus in verbo suo Deos appellare dignatur, quippe per quos Deus ipse populum suum gubernat, iudicat, protegit, coercet, atq; seruat. Quo nomine in libro Iudicum Iudices seruatores nuncu-

Honorandi Principes & magistratus. Exo. 22 Psalm. 82

pantur. Id quod subditis omnibus agnoscendum est, cum quadam veneratione, admirationeq;, & gratiarum actione. Nam iubemur sedulò pro principibus nostris interpellare, pijs nostris precibus apud Dominum: iubemur magistratum diligere syncere, & honoribus cuiq; genti consuetis, decorè, decenter, & quàm diligentissime honorare. Fecerunt ita sanctissimi quiq; Dei sacerdotes, prophetæ atq; fideles, suis regibus: sicut videre licet pluribus sacræ scripturæ in locis. Quid quod lege Dei apertè mandatur, Exod. 22. Dijs non maledices, & principem in populo tuo ne execreris? Iam etiam timendi sunt subditis principes, ne contra Timendi sunt principes. ipsos aliquid moliantur, & multò minus hostiliter contra ipsos insurgant, & seditiones moueant, aut alioqui scelerata puniendaq; designent facinora. Apostolus enim, si feceris, inquit, id quod malum est, time: non enim frustra Rom. 13. gerit gladium. Nam Dei minister est, vltor ad iram, ei qui quod malum est fecerit. Ac boni quidem viri Principes metuunt, non vt carnifices, sed veluti patres. Rursus enim apostolus: Principes non sunt terrori bene agentibus, sed malè. Vis autem potestatem non timere, quod bonum est facito, & feres laudem ab illa.

Pendēda omnia debita principibus. Præterea pendenda sunt principibus à suis subditis, tributa, & vectigalia, omniaq; debita. Rursus enim Apostolus: Quis, inquit, suis militat stipendijs? Ac Principes publicis inseruiunt commodis, æquissimum est itaq; vt etiam publicis sustententur subsidijs. Certè Paulus disertè, Propterea, inquit, & vectigalia soluitis: siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus quod debetur: Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Idem apostolus iubet etiam obedire subditos suis Obediendum principi mādatis. principibus, nimirum ipsorum legibus atq; edictis, non

tantum

tantum, vt iuſta obedientia euitemus pœnas, quas Principes ſumunt de inobediẽtibus, ſed quod ita videatur deo, eiuſq; mandato nobis præſtanda ſit obedientia, niſi malimus incidere (licet Principes nos non puniãt) in vltrices Domini manus. Atq; hoc eſt illud, quod apoſtolus dixit, Oportet eſſe ſubditos, non ſolum propter iram, verum etiã propter conſcientiam: Item, qui reſtiterint magiſtratui ſibÿpſis iudicium inducent. Atque etiam eouſq; pertingit obedientia illa, vt ſi princeps tua opera indiguerit in militia, qua regnum ſuum conetur tueri, contra latrones, tute principi tuo ipſum etiã corpus tuum debeas, adeoq; & vitam, nedũ fortunas. Hæc inquam hæc Deo probãte, & mãdante omnes ſubditi debent ſuis ſuperioribus, iccirco eadem & Angli debẽt ſuæ Reginæ. Dixit quidem beatus Petrus, oportet Deo magis quàm hominibus obedire: ſed in ÿs quæ contra Deũ & verbum eius præcipiũtur. At politica vel ciuilis gubernatio confirmatur, non diſſoluitur verbo Domini. Confirmatur item omnium maximè ſi principes pÿ ſint. Etenim Principes qui tranquillè gubernant populum ſuum, nec adigunt ſubditos ſuos ad vllas res impias, ſed magis pietatem colunt, & propagant, Deo probantur, & ab ipſo iuuantur. Et quidem hæc ſubditorum ipſis à Deo mandata obedientia, conſeruat eos in officio, & ſuadet ne quid tentent contra Principem, vel magiſtratum ſuum. Nec tantum inobedientes, ſed etiam ſeditioſi, Deoq; exoſi ſunt, qui conſilijs & armis in Principem inſurgunt, & pacem publicam perturbant. Id quod Papa proceres, & ſubditos Angliæ, ſua Bulla, non tam docet, quàm minis etiam eò perpellere contendit. Legibus diuinis & humanis per Dei gratiam inter ſe pulchrè cohæret inclytum Angliæ regnum, & pace, communiq; vtilitate ſubditi fruuntur, Reginæ Sereniſſimæ beneficio. Ergo

Contra ſeditiones & ſeditioſos.

huic nolle porrò obedire, ita vt vuli Pontifex, quid hoc aliud est quàm pacem publicam turbare, denique defectionẽ atq; seditionem nefariè moliri, ac certum & graue sibi Dei iudicium accersere?

Supplicia & pœnæ de seditiosis sumptæ a Deo. Num, 16

Audi vero quàm oderit Deus semper seditiosos, & quàm grauiter etiam seditiones puniuerit semper. Seditionem contra Mosen ducem populi Dei, commouerunt Chore, Dathan, & Abyron, vnà cum suis complicibus, sed dehiscens terra, vnà eos cum suis familijs atq; facultatibus omnibus deglutiuit. Exemplo sanè horribili ædito, nè qui posthac pergerent insurgere contra suos Principes. Israëlitæ quoq; excitarunt contra eundem Mosen in deserto seditionem. Verum ob eam excluſi sunt terra promissa, & per annos 38 in deserto varijs calamitatibus adobruti, diuturna itẽ peregrinatione per desertum fatigati & exhausti, tandem etiam temporibus diuersis, mortibus horrendis perempti, atq; consumpti sunt. Sed & Ephraimitæ in libro Iudicum, per tumultum, benemeritum Iephthaë adorti sunt: Sed Deo eorum insolentem seditionem & ingratitudinem puniente, interfecti sunt ad quadraginta duo millia Ephraimitarum. Quid Dauidis temporibus euenerit Absolomo & Sebæ filio Bithri, insurgentibus & his per seditionem, contra legitimum regem Dauidem, notius sanè est, quàm multis exponendum videatur. Extant & alia non minus quàm hæc horrenda in scripturis sanctis, & historijs prophanis variorum regnorum exempla seditiosorum plurima grauissimè oppressorum à Domino. Neq; enim vnquam talibus pepercit iustus, & ordinis, pacisq; amans Dominus.

Num, 13. & 14

Memorabile exemplum grauis pœnæ per-

Et vt ex recentioribus etiam aliquid proferam, memorabile extat exemplũ pœnæ seditiosæ rebellionis, atque inobedientiæ, periurijq;, in rege Rodopho Rhynfeldio, mã-

dante

dante Papa Gregorio 7. electo in Romanorum regem, contra Heinrychum 4. Imperatorem, legitimè constitutum à Deo, ac maioribus suis Principibus optimis succedentem in imperio. Gregorius ille ex Cathedra sacra, ferijs Paschalibus, vaticinatus fuerat, hoc ipso anno, qui erat annus Domini. 1080. pseudoimperatorem moriturum, hac insuper attestatione addita: Non habete me pro Papa, sed ab altari me auellite, nisi hinc vsq; ad Pentecostem pseudoimperator fuerit mortuus. Quæ sanè prophetia Caiaphæ erat, adimpleta quidem, sed alio sensu, quàm Papa putauerat. Nam pseudoimperator Rodolphus ille, creatus Imperator à Papa, contra Heinrychum, quem Papa deposuerat, omnesq; suos subditos à fide, & obedientia absoluerat, eodem anno interfectus moriebatur. Ter ille antea cum Heinrycho, per seditionem, conflixerat infœliter, & nunc confisus prophetiæ patris sui beati Gregorij 7. quartum iam reparabat vires, mensęq; Octobri, in Misnia congrediebatur cum copijs Heinrychi, sed rursus in fœdissimam conijciebatur fugam, clade accepta strageq; edita maxima & cruentissima. In ea vero pugna, Rodolpho dextra manus est decussa: ex quo vulnere paucos post dies moriebatur, imperium à Papa acceptum relinquens, & prophetiã, creatoris sui Papæ, adimplens. Vspurgen. abbas in suis chronicis folio 238: Fertur, inquit, in extremis positus Rodolphus, & abscissam dextram intuitus, ad episcopos qui fortè aderant, grauiter suspirans, dixisse: Ecce hæc est manus, qua Domino meo Heinrycho Imperatori, fidē sacramento firmaui: Ecce ego iam eius regnum & vitam derelinquo præsentem. Videte, qui me solium eius ascendere fecistis, an recta me via duxeritis? Id quod alij historici huiusmodi verbis reddunt, vobis autem vrgentibus, toties tam infœliciter pugnaui. Vos videritis an recta

iuræ seditionis a Rege Rodolpho sumptæ.

Vide.

me duxeritis. Ite & implete Regi vestro primam fidem. Nam ego ibo ad patres.

Ex his omnibus discite vos illustres Angliæ proceres, & tu inclytum Angliæ regnum vniuersum, Reginæ vestræ sereniss. fidem iuramento præstitam seruare, eidemq; fideliter obedire, pacem regni colere, à seditionum vero parente, Romano Pont. homine peccati, perfidiam & seditiones nequiter insinuatas, imò & præceptas impiè, abominari & fugere, quo & grauia Dei supplicia liceat vobis euitare.

Quantas calamitates, quantaq; mala regnis & populis in orbe Christiano, 400. iam annis & amplius, Romani pont. intulerint, pro plenitudine potestatis suæ, Reges deponendo, & regna transferendo, subditosq; à fide & obedientia debita absoluẽdo, breuis historica commemoratio vel consignatio.

Occasione historiæ iam commemoratæ de Gregorio 7. & Rodolpho rege, pergam ab eiusdem Gregorij temporibus, ad nostrũ ferè vsq; seculum per quadringentos & amplius annos, breuiter consignando, attexere, quãtas calamitates, quantaq; mala, Regnis & populis, in orbe Christiano, supra annos 400 Romani Pont. intulerint, pro plenitudine potestatis suæ, Reges deponendo, & regna transferendo, subditosq; à fide & obedientia debita absoluendo, vt vel ex horribili hac laniena, & omniũ rerum confusione, luctuosaq; rerũ tristissimarum commemoratione, discant omnes in orbe Christiano populi, Rom. Pont. quos adhuc adorant reuera

qua-

quales sunt nosse, sibiq; quàm diligentissimè & constantissimè cauere à Romanis illis Pontificibus, veluti à præsentissima peste, regnorumq; & rerum publicarum, pacis & fœlicitatis pernitie, seditionum item, bellorum, intestinarum cædium, & omnium miserrimarum calamitatum authoribus atq; facibus, Deo atq; hominibus probis omnibus meritò inuisis.

Anno Domini. 1045. ingens & pernitiosissimũ schisma trium in vrbe Roma Pontificum, Benedicti 9. Siluestri 3. & Gregorij 6. exortum, ecclesiam Romanã periculosè & immaniter exercuit. De eo schismate Ottho Frisingens. lib. histor. 6. cap 32. Circa hoc tempus, ait, pudenda confusio ecclesiæ Dei, in vrbe Roma fuit. Tribus ibi inuasoribus sedem illam simul occupantibus: qui ibi flagitiosam & turpem vitam, vt egomet in vrbe, Romanis tradentibus, audiui, duxere. Beno vero Cardinalis in vita Hildebrandi: Graui, inquit, schismate, feralibus bellis, immensis cædibus, his authoribus (tribus videlicet Pontificibus) laniata est ipsa ecclesia, ac sub colore mellis, veneno propinato, hæresibus nefandissimis propemodum suffocata. Et Platina in vita Siluestri 3. Eò tum Pontificatus, inquit, deuenerat, vt qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate & doctrina valeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis, obtineret. Et reliqua quæ ibi satis liberè in mores corruptiss. Curiæ Romanæ scribuntur. Imperator verò Heinrychus eius nominis 3. cognomento Niger, princeps pius & fortis, comparato per Germaniam exercitu selectiss. Romam ingressus, Synodoq; conuocata, tres illos Pontifices deponit. Suiggerum Bambergens. episcopum, quem nuncupant Clementem 2. in sedem collocauit.

Quo itaq; putamus nostro seculo deuenisse?

Beno Cardinalis subiungit istis, quibus strenuè peractis,

Præceptor & discipulus fuerunt Magi.

ctis, Heinrych. Imper. Gregorium, 6. cum Hildebrando postea Pontifice facto, & Gregorio 7. dicto, discipulo suo (qui noluit suum deserere præceptorem, sed in extremum sequi vsq; periculum) in Theutonicas partes, deportatione damnauit. Nimia tamen bonitate deceptus, nec ecclesia Romanæ, nec sibi, nec generi humano prospiciens, nouos idololatras nimis laxè habuit: quorum memoriam æterno carcere, à contagione hominum remouere debuerat. Defuncto autem in exilio sexto illo Gregorio, Hildebrandus perfidiæ simul & pecuniæ eius hæres extitit. Hæc ille.

Quare Gregor. 7. tanto odio Imper. Heinr. 4. prosequutus fuerit.

Retinuit autem Hildebrandus semel in Germania cõceptum in Imp. odium. Imperatori pro liberatione minimè gratus. Postquam enim Pontificatum vi, & malis artibus occupasset, dictus Gregorius 7. totum se conuertit ad opprimendum Heinr. 4. tertij Heinr. filium, vt deportationem in Germaniam & sui præceptoris Gregorij 6. & suam vlciscceretur, & potestatem pontificum maximam firmaret, atq; stabiliret, ne porrò Papis Imperatores essent metuendi. Et certè refertur Heinrychus 3. Imperatorum fuisse vltimus, qui Pontifices Romanos coercere, & in ordinem redigere potuerit. Tametsi enim in Imperio successerint Imperatores viri illustres & fortes, qui Pontificibus constanter se opposuerunt, & quosdam è sede deiecerunt: nullus tamen horum fœlicius Heinr. 3. eos coercuit. Rebellio enim cœpta per Gregorium 7. & mox per discipulos eius continuata, & per eorum successores contumaciter aucta, ita grassans perrupit, vt Imperatores parum efficere potuerint, sedula licet sua diligentia & fortitudine. Sed & aderat iam tempus illud, quo Prophetarum & apostolorum vaticinijs satisfieri oportuit.

Quare Imp. in coercendis Papis parum effecerit.

Gregorius 7. contra Imperatoré Heinrychum 4.

Igitur Gregorius 7. sede occupata, cum sibi occasionẽ crederet datam opprimendi Imperatoris Heinr. 4. & perficien-

ficiendi, quod iam annis multis animo suo conceperat, Principio quidem Bullam edit contra Imperatorem, in qua ipsum accusat, grauiaq; in eũ deuoluit crimina, literis illis suis per Italiam, Germaniam, atq; Galliam sparsis. Contendit item quorundam Germanorum Principum animos dementare, inq; partes suas inclinare. Id quod ei successit plus æquo fœliciter. Deinde vero Principum fauore factus confidentior, audet etiam Imperatorem excõmunicare, Imperio item vel regno, sententia lata, deponere, & subditos omnes à fide et obedientia Imperatori præstita, absoluere. Didicerat hoc non à Prophetis aut apostolis, vel ex scripturis sanctis, sed à suis maioribus, Zacharia. 1. Stephan. 2. Hadriano 1. & Leone 3. Præterea principibus mandat vt alium regem in locum Heinr. excommunicati, eligant, & nè ignorarent quem ille vellet, mittit coronam, insculptam huiusmodi versiculo Antichristianico. 1076.

Excommunicatores principum.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Eligitur ergo à quibusdam Principibus, qui inter se conspirauerant, Rodolphus Rhynfeldius, Sueuiæ dux, Sororius ipsius Imperatoris, & Mogantiæ coronatur. Ciues verò fidem seruantes Imperatori, indignissimè tulerunt perfidiam in Imp. admissam. Correptis ergo armis, & in templum irruentes, trucidant obuios quosq; ex parte Rodolphi, ipsumq; templum sanguine complent. Deinde in palatium quoq; inuolant, ignem inijciunt, & adeò seruidè instãt, vt ægrè Rex, & Moguntinus elapsi sint, fugaq; sibi cõsuluerint. Mox tãta hinc cõsequuta est per Germaniam conturbatio, vt nullus calamus dignè luctuosa hæc tempora assequi possit. Qui fidem Imperatori seruabant, appellabantur ab Hildebrandinis, vel Gregorianis, Papi- 1079.

Turbæ per Germaniam luctuosæ.

sticisq; Hæretici, Schismatici, Nicolaitæ, Fornicarij (quod scilicet contraherent matrimonia, quæ Papa sacerdotibus iungere vetabat) simoniaci, & seditiosi. Sed & iniurijs, conuitijs, cædibus, incendijs, tumultibus, proditionibus, stupris & sceleribus nefarijs complebantur, & redundabant omnia. Religio præterea apud omnes propè in extremum adducta est contemptum. De quibus omnibus historiæ illorum temporum abundantissimè testantur. Atq; hi erant fructus plenæ illius potestatis papisticæ, qua ipse Reges deponit, regna transfert, & subditos à fide & obedientia absoluit. Qui fidem seruabant Imperatori, suos episcopos, vt in Imperatorem perfidos, suis eiecerunt vrbibus. Et concionatores in plerisq; Germaniæ locis, tuentes Imperatoris partes, grauissimè inuehebãtur in Pontificẽ, affirmantes illum ipsissimum esse Antichristum, & Romam esse Babylonem. Qua de re qui cupit, legat Germanicam Ioan. Auentini historiam lib. 5. Folio. 426.

Germani concionatores cõtra Papam quẽ vocant Antichristum.

Cæterum Rodolpho rege Papistico post multa infœlicia prælia sublato, ne infœlix Germania respiraret, & Imperator vel modicè quiesceret, truculẽtiss. Pontifex artibus

1083. *effecit, vt Saxones Hermannum Lothoringiæ Lucelburgicæ principem, sibi crearent regem, contra Imperatorem. Verum hic quoq; ex vindicta diuina in expugnatione cuiusdam arcis, saxo a muliercula præcipitato ex muro, instar Abimilechi regis, Gedeonis F. vnà cum multis alijs oppressus, miserè interijt. Sed ne his quidem malis, inexpiabile in Imperatorem, Pontificis odiũ, & immanis truculentia exatiata, quieuit, sed tertium etiam aduersarium*

1086. *& antiregem optimo Imperatori opposuit, Egbertum Saxoniæ marchionem. Qui tum & ipse quinto post anno, in molendino, propè Brunsuigam, ab Imperatoris satellitibus circumuentus, miserè est confossus.*

Re-

Reliquit autem hic Gregorius monachus impijss. & crudelijs. discipulos post se, quos ita imbuerat sceleratis suis consilijs, & artibus nefarijs, vt cum in sedem pontificiam collocarentur, nihilo clementiores præceptore suo essent in Imperatorem. Inter hos numerantur Vrbanus 2. quem Beno Cardinalis, non immeritò nuncupat Turbanum, & Paschalis 2. Ambo Benedictinæ factionis monachi fuère, ambo infensissimi Imperatoris hostes, venenatissimum Hildebrandi odium pectore retinentes, & operibus nefarijs exercentes. Ille enim parricidaliter contra patrem excitat filium Conradum, Italiæ præfectum. Hic Heinrychum 5. filium principem fortem impijssimè armat in fortiss. parentem. Crudelissima atrocissimaq; est tragœdia, quam illi, incentore Papa, peregere. Describit eam cum multis alijs historicis D. Robertus Barnus in vita Paschalis. Defatigatus tandem immensis exagitationibus, & cruentißimis prælijs Imperator iam senex (scribunt enim Imperat. hunc Pontificum improbitate adactum, bis & sexagies collatis signis, pugnasse: quare M. Marcellum & Iulium Cæsarem supergressus est, quorũ alter trigesies, alter quinquagesies bis, pari marte certarunt) cum de pacificatione ineunda cogitaret, & Moguntiam ad publica Imperij comitia contenderet, in itinere per insidias, contra fidem datam, interceptus, Ingelhenij corona insignijsq; imperialibus, per Moguntinum, Colonienss. & Wormacienss. episcopos, indignissimè & crudeliss. est spoliatus. Lachrymabilis est ea historia, quam diligenter describit Albertus Kranzius rerum Saxonicarum lib. 5. cap. 30.

Discipuli Gregorij 7.

Filij in parentem a Papis excitati.

Vide quo Papæ impulerint Imperatorem.

Tandem verò cum opt. Imperator Leodij, mœrore consumptus, spiritum Deo reddidisset, & in monasterio quodam ibi sepultus esset, noluit Papa cum sua factione,

Liuor non cessat ne in mortuum quidem.

episcopum, & clerum, populumq; Leodinens. recipere in communionem, nisi prius effodissent Imp. corpus, deposuissentq; in loco non consecrato. Ita arserunt odio irreconciliabili beati isti patres, vt non potuerint satiari crudelissima, perpetuaq; exagitatione viuentis, nisi etiã hyænarũ instar immani rabie sæuierint, & in defuncti sanctum cadauer. Sunt hi sanè fructus dignissimi immensæ illius Romanorum Pont. potestatis. Non commemorabo hic quæ Calixtus 2. & ipse Hildebrandinus scholaris & ex Cluniacens. lustro prodiès, admiserit contra Heinrych. 5. cum quo in gratiam redire noluit, priusquam ius inuestiendi in Germania episcopos (quod hactenus Imperatorum fuerat) Romano Pontif. cessisset. Tum demum à vinculo excommunicationis, quo filium perinde vt patrem colligarant, Imp. absoluit. Literas autem concessionis Imperatoris in Basilica Lateranens. publicè suspendit, in testimonium triumphale victi & subacti à Pontificibus Imperatoris.

Calixtus contra Heinrychum 5.

1122.

Quamuis vero Heinr. 5. anathematum diris denotionibus fractus, rapacitati Pontificum inexplebili cessisset, ac tyrannico Pontificum iugo, cum perpetuo reipublicæ Regniq; dedecore & damno, collum submisisset, pace tamen optata per istos frui non potuit, nouis in Belgio & Germania excitatis turbis. De quibus diligenter scribit Abbas Vrspurgens. Ad quas cum proficisceretur Imp. sedandas, in morbum incidit, & mortuus est Traiecti.

1126.

Papæ contra Friderychum Barbar.

Ad res aliquas Friderychi Barbarossæ Imperatoris Romani festino, qui cum sensisset Hadriani 4. Pont. arte maligna & legationibus in Germaniã missis, semina seditionis, & defectionis ab Imperatore spargi, mox exigit ab episcopis Germaniæ fidelitatis iuramentum. Deinde legatis Romani Pont. in Germaniam missis, mandat, vt

Romam

Romam redeant. Causam huius mandati referens Radeuicus historicus lib. 3. cap. 10. Ne pro consuetudine, inquit, Romanistarum, per singulas ecclesias Theutonici regni, conceptum iniquitatis suæ virus spargere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, crucesq; excoriare niterentur, Legatos ex Germania eiecit, sed & ipse Imperator respondens Hadriani literis, Cardinalibus vtiq; vestris, inquit, clausa sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates. Quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores, non pacis corroboratores, sed pecuniæ corrasores, non orbis reparatores, sed auri insatiabiles raptores. Et reliqua.

At Alexander 3. qui successit Hadriano 4. inter legatos illos fuerat, quos Imperator Germania excedere iusserat. Id quod Alexandro vehementer doluerat, indeq; odiũ conceperat in Friderycũ & Friderychi posteros, sicuti olim fecerat et Greg. 7. in familiã Heinrychanã, præsertim cum Friderychus hic etiã sequeretur partes Heinrychanas, maioresq; ipsius ab Heinr. 4. duces Sueuiæ essent creati. Alexãder itaq; in sedẽ exaltatus, mox stringit gladium excommunicationis in Imperatorem. Fœdus item iungit cum Italiæ vrbibus. Quæ in gratiam Pontificis, contemptumq; Imperatoris, nouam construũt vrbem, appellantes ipsam Alexandriam. Grauissima ex hoc consequuta sunt bella, cædes, incendia, atq; calamitates innumera. Sed & Pontifex exemplo carentis insolentiæ, Imperatoris collum, Venetijs, in æde S. Marci, pedibus proculcauit.

Causa odij Pontificum in Friderychum 1.

1160.

Alexandria vrbs extructa.

1178.

Friderycho Barbarossæ, qui in profectione vel expeditione Hierosolymitana interijt, anno Dom. 1189. successit in Imperio filius Heinrychus, eius nominis 6. Copularat huic suo filio, pater Barbarossa Constantiam Rogerij

1190.

Duces Sueuiæ regnum Siciliæ hæreditario iure possedunt.

Siculi Regis filiam. Vnde Nauclerus in historia sua Generat. 40. ostendit Duces Sueuiæ Siciliam non à Papis in feudum, sed per dotem iure hæreditario accepisse. At referunt scriptores fuisse Episcopos & è clero populoq; nonnullos, qui Apulos, Siculasq; ad defectionẽ solicitarint. Quoniam sæuerissimè sint ab Heinrycho puniti. Quod cum Papa Celestinus 3. iniquissimè tulerit, Imperatorem Henr. anathemate notarit. Vnde rursus turbæ, cædesq; sint exortæ.

1198. *Heinrycho 6. in Imperio successit Philippus Barbarossæ filius, & Heinrychi 6. frater. Eodem propè tempore conscenderat in sellam Romanam, Italus quidam Lotharius, Anagnina oriundus familia, & theologus Parisien. Innocentius 3. dictus: quem nonnulli non abs re Nocentium nuncuparunt. Feruebat hic in Philippũ plusquàm Vatiniano odio. Idq; duas maximè ob causas, & quòd esset ex familia ducum Sueuiæ, quæ se opposuerat semper, & adhuc opponebat Romanorum Pontificum tyrannidi: & quòd nepoti ex fratre Friderycо 2. Siciliæ regnum, quod Papa quoq; ambiebat, tradiderat, atq; confirmarat, vtpote Reginæ Constantiæ matris suæ ex iusta paternaq; hæreditate, iustam dotem. Ergo modis omnibus contendit Pontifex, Barchtoldum Zaringiæ principem pro Imperatore Imperij principibus obtrudere. De cuius electione prolixè scriptis egit, quæ etiamnum extant De Elect. & Electi Pot. venerabilem. At cum non successisset Pontifici Innocentio consilium hoc suum, tanta exarsit indignatione, vt in hæc proruperit beatus pater verba. Aut Pontifex Philippo diadema regium, aut Philippus Pontifici diadema Pontificium detrahet. Mox vero cum Principibus Germaniæ agens, de alio Imperatore eligendo, Philippum diris deuouit. Coniurati itaq; nonnulli Othonem*

Innocentius 3 contra Imp.

1199.

thonem Saxonem in antiregem elegerunt. Ex quo innumera protuberarunt mala. Nam principes isti duo, bella inter sese gesserunt cruentissima. Sæpius enim conflixerũt immenso sanguine fuso. Victoriam tamen Philippus semper reportabat. Describit hasce calamitates Ioan. Auent. hist. lib. 7. Fol. 458. Neq; Otthone se, suamq; operam Pontifici ita commendare potuit, quin & ipsum anathemate feriret, imperij titulis priuaret, & Principes sacramento obstrictos Imperatori, absolueret. Simili furore Honorius 3. & Gregorius 9. & quidem hic maxime hostili animo in Friderychum 2. qui Otthoni in Imperio successit, feruntur. Erat Gregorius 9. Innocentij 3. nepos, cuius ingenium fastuosissimum, ambitiosissimum, audacissimum, et plus nimium retinens odij, in omnibus dictis & factis suis egregiè expressit. Hic Pontifex annectit sibi contra Imperatorem fœdere bonam Italiæ partem. Deinde promulgat tres Bullas contra eundem, in quibus regem à deo vnctum, Bestiam vocat, Hæreticum, & quid non? districte mandans omnibus Christi fidelibus, ne Imperatori pareant, vtpote omnibus deuoto diris. Extant 6. lib. Epistolarum Petri de Vineis, in quibus hæc, & alia huius generis, sicuti & in vita Friderychi 2. per Cuspinianum, & per alios historicos, etiam per Ioan. Auentinum lib. historiarum 7. descripta leguntur. Nemo breuibus, sicuti ego in præsenti studeo breuitati, complexus fuerit calamitates cædes, & seditiones cruentiss. quas Pontifices & maximè Gregorius hic 9. Friderychum 2. hunc oppugnantes, excitarunt suis illis Bullis (similibus ei, (etenim diabolus semper sui similis est) quæ nunc à Pio 5. edita est, contra Angliæ Reginam) in Italia & per vniuersam Germaniam aliaq; regna. Certè factiones Guibilinorum, & Guelphorum sub Innocentio 2. exortæ, opera huius Gre-

1212.

1219. Gregorius 9. contra Friderychum 2.

Gwelff vnd Gibelin.

gorij 9. vehementer in tota Italia ſunt reparatæ atq; longè latiſſimeq; ſparſæ. De quibus Nauclerus in ſua hiſtoria Generat. 42. Fol. 826. Serpſit hoc factionum ſtudium hoc tempore adeo late, vt nulla ciuitas, nullusq; populus ea labe pernitioſiſſima mãſerit intactus. Vrbs enim in vrbem, prouincia in prouinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia, quarum harum partium cauſa, geſſere ab inde vſq; ad noſtra tempora, bella. Nec modo diuiſa ſunt ſigna, in prælijs deferenda, ſed colores, terræ fructus, veſtiũ habitus, ipſe hominũ inceſſus, digitorũ crepitus, & oris hiatus, ſuarũ habent partiũ ſignificationem. Hæc ille.

Quomodo Põt. Rom. ſtuduerint pop. Chriſt. in vnitate conſeruare.

Ex his & ſimilibus alijs pluribus (vt hoc quoq; moneam obiter) abs quouis intelligitur, quàm fideliter Pontifices Romani, ſicuti paſſim ampulloſis verbis iactitant, populum Chriſtianum in vnitate fidei, & cõcordia chriſtiana ſtuduerint conſeruare, cum ipſo ſole clarius eluceſcat, neminẽ vnquàm in mũdo diſperſiſſe, & per partes ſtudiaq; vel factiones, vnitatem fidei, corporiſq; Chriſti diſcidiſſe, ac dilaceraſſe fœdius, ipſis Romanis Pontificibus.

Innocẽtius 4. contra Imperat.

Quid verò referam de Innocentio 4. quem vocant ſplendorem Canoniſtarum? Studuit hic ſuos anteceſſores in perſequendo Friderycho ſaltem æquare, ſi non etiã ſuperare. Ergo cum Lugdunum in Galliam, conciliũ conuocaſſet, & Friderychum eò quoq; euocaſſet, quod non cõparuiſſet (licet fuiſſet in itinere, reuocatus tamen à ſuis, coactus fuiſſet redire in Italiam, propter cladem qua affecti erant Parmenſes à Pontificijs) in ipſo Concilio ſolenniter promulgauit ſententiam contra Imperatorem condemnationis, & priuationis Imperij, & regnorũ eius, prout cauſæ depoſitionis, et forma ſentẽtiæ in cap. ad Ap. de ſent. & re iud. lib. 6. ſunt conſcriptæ: & referuntur etiã à Collenutio hiſtorico ſub finem vitæ Friderychi. Mox itaq; ali-

ý, aliquot Germaniæ principes, mandante & instigante Papa, dementati eius hypocrisi, & malignis artibus in Imperatorem eligunt Heinrychum Thuringiæ Lantgrauiũ, contra Friderychum. Sed & eodem Papa authore, crux prædicabatur passim contra Imperatorem. 1248

Crucem prædicare & cruciatæ.

Ne quis autem ignoret nouum hoc crucis prædicandæ mysterium. Inuenerant Papistæ illis temporibus, nouum prorsus modum prædicandæ crucis. Non enim, vt quondam apostoli eorumq́, apostoli eorumq́, discipuli, prædicabant crucem id est mortem Domini nostri Iesu Christi, vitam nostram, sed bella à Papa indicta & suscepta, quæ non suis sed alienis viribus, iuxta vaticinum Danielis ferebat, denunciabat. Et quidem initio sub Vrbano 2. tempore Claromontani Concilij, cum bellum sacrum esset decretum, cœpit hic nouus prædicandi modus, contra Saracenos. Postea vero si Papæ aliquos declarassent hæreticos, & ideo armis excindendos iudicassent, emittebant prædicatores suos emissarios, qui crucem populo prædicant, id est, classicum canerent, suadentes, sed & authoritate Pontificia mandãtes, vt militiæ apti, signum crucis suscipientes militiæ Pontificiæ se dederent. Pollicebantur his, si se gessissent strenuè, id est, truculenter obtrũcassent hæreticos, & omnia ipsorum vastassent, peccatorum remissionem, & vitam æternam. Totum vero hoc negotium cruciatam nuncupant istorum temporum historici. Simul etiam cum expeditione bellica indicebat suis Pontifex (vt vel hodie adhuc solet) ieiunia, pœnitẽtiam, & supplicationes, quibus peterent à Deo rerum cœptarum fœlicem euentum. In hac vero noua crucis prædicatione, imprimis strenuos sese ministros Papatus exhibuerunt monachi mendicantes, & inter hos cæteris sæueriores, Dominicani, prædicatorij ordinis monachi dicti, 1095

ſic fundatorem ſuum Dominicũ probè referentes. Etenim eiuſdem ordinis monachus, Bernhardus Lucemburgus, in Catalogo ſuo hæreticorum, ſancto Dominico crucem prædicante, inquit, cum 12 abbatibus Ciſtertienſ. ordinis, contra Albigenſ. hæreticos, centum millia eorum occiderunt Catholici (id eſt Papiſtæ crucigeri.) Ex quibus 180 contra Romanam eccleſiam obſtinati, comburi potius, quàm hæreſim abiurare elegerunt. Quod & factum eſt. Beatus verò Dominicus 10. annis permanſit in illis partibus in prædicationis officio, & hæreſis extirpatione, alijs ad propria redeuntibus: Hæc ille de authore ſuo & de lamiena illa. Vnde apparet Dominicum à Papa non immeritò poſteà relatum canonizatione inter diuos. Nec ſine cauſa matrem Dominici dum prægnans eſſet, ſomnium habuiſſe, ſe vtero gerere canem (alij lupum habent) ore facem ferentẽ, qua totum incenderit orbem &c. Sed redeo ad inſtitutum.

Facta ſunt hæc ſub Innocentio 3.

Dominicus monachus canonizatus.

Reges alij contra Friderychũ 2. electi.

Prædicante itaq; Papa crucem, & Thuringo ſe apparante ad bellum, rurſus vtrinq; ad arma concurritur, rurſus miſera Germania, incentore Papa, diſcinditur, & mutuis, ciuilibuſq; armis confoditur atq; trucidatur. Conradus Friderychi F. Dux Sueuiæ & declaratus Roman. Rex, cum Thuringo congreſſus, omnes huius copias etiam cruce ſignatas fundit, fugat, atq; cædit. Eodem anno ex vulnere moritur Thuringus. Coniurati Papæ principes Germani, nondum tantis malis ſapientiores facti, alium Friderycho, & filio eius Conrado regem opponunt, plus Papæ quàm patriæ fauentes. Miſit enim Innocentius in Germaniam legatum Cardinalem Petrum Caputium, qui vocatis Coloniam Principibus, effecit, vt Hollandiæ Comes Wilhelmus Rex contra Friderych. & Conr. eligeretur. Id quod nouas in Imperio turbas dedit.

Quo-

Quoniam vero Innocentius Conradum quoq; regem anathemate percusserat, non desijt hoc mortuo filium quoq; Conradi Conradinum iustum Apuliæ, Siciliæq; hæredem persequi, paternaq; spoliare hæreditate. Qua in re non impigros imitatores se exhibuere successores eius, Alexander 4. Vrbanus 4. & Clemens 4. Vnde Conradinus scriptum edidit publicum, in quo lamentabiliter enumerant grauissimas sibi à Pontificibus illis illatas iniurias. Et principio quidem exponit quomodo innocenti sibi, & pupillo, adeoq; Ecclesiæ commendato, nocuerit Innocentius 4. occupando regnum eius, & distribuendo hoc in ipsius nepotes, atq; consanguineos. Deinde sequutum Alexandrum, eumq; alium inuitasse ad regnum ipsius occupandum. Vrbanum quoq; sibi parum vrbanum, Carolum Francum euocasse in regnum sibi iure paterno debitum, iniustè possidendum. Quem deinceps inclementiss. Clemens, in antiregem erexerit, ipso vero hærede Conradino iniustissimè spoliato. Vnde nunc iustis armis repetere cogatur, quod Pontificia iniustitia ipsi iniustissimè abstulerit. Leguntur hæc apud Nauclerum in Chronicis. Inter hæc Clemens 4. Papa cum audisset Conradinum copias parare in Germania, Bullam edit, qua vniuersis Christi fidelibus mandat, ne Conradinum nuncupent Regem Siciliæ, neuè illi vllum vel consilium, vel auxilium contra Carolum, quem ipse pro pretio in Regem Siciliæ coronauerat, præstarent. Rursus ergo armis, classicum canente Pontifice, concurrunt Christiani: Pugnatur: Vincunt primò Germani, fugiunt Galli. Sed cum illi solutis ordinibus, ad impedimenta hostium diripienda feruentiores æquo essent, restaurata acie Galli redeuntes, de improuiso irruunt, palantesq; Germanos cædunt, & victoria potiuntur. Capti sunt duo Principes Conradinus rex Sici-

Conradinus Dux Sueuiæ opprimitur à Rom. Pont.

1166.

1268.

liæ, & Dux Sueuiæ, ac Friderychus Dux Austriæ, qui suas copias auxiliares coniunxerat cum Conradino. Capti sunt & alij proceres, atq; viri illustres, omnesq; captiui Neapolim ducti, & in arctissima custoditi custodia. Fertur Carolus scriptis literis consilium petiuisse, quidnam fieri conducat de captiuis? Ac inter alios Pontificem respondisse: Vita Conradini, mors Caroli, mors Conradini vita Caroli. Rupertus vero Flander Caroli gener, quo consultore victoriam nactus fuerat, memor rerum humanarum, pacem ineundam, atq; iuuenes Principes optimæ indolis, omnium nobilissimos & Augustorum prolem, affinitatis vinculo conciliandos esse, Carolo suadebat, atq; Conradino Caroli filiam, Friderycho neptem ex sorore destinabat. Dum his consultationibus tempus trahitur, & Rupertus domum redijsset, regius sanguis capitali sententia condemnatur. Et 4. Calend. Nouemb. die Lunæ anno salutis 1268 solum purpura sternitur, vbi & Friderychus primò securi percutitur. Cuius caput Conradinus amplexus atq; osculatus, lachrymis obortis, innocentis iuuenis atq; amici (cui causa interitus fuerit) necem crudelem miseratus, deplorat. Deinde multa de acerbitate, & perfidia inimicorum, qui se omnium innocentissimum, immeritissimumq; præter fas atq; æquum hæreditate, quam ataui, proaui, aui parentis sui sanguine peperissent, priuassent, conquestus, causaq; sua supremo iudici commissa, vltorem sceleris atq; parricidij Deum inuocans, ad Christum Dominum Deumq; nostrum prouocat, tribunal eius appellat, fidem implorat, manicis in cœlum abiectis. Isthæc regna Petro Arragonum regi cognato suo (nam huius auia soror Imperatoris Friderychi fuerat) iure suo legat, atq; deinde intrepidus cernicem carnifici porrigit, capiteq; pœnas luit. Postremo vndecim

Supplicio capitis afficiuntur Principes, & in ijs defecit antiquiss. stirps ducum Sueuiæ & Austriæ.

pro-

proceres Sueuiæ atq; Italiæ, eodem supplicio afficiuntur. Inter quos fuit & Gerhardus Pisanus vir illustris &c. In paucis post annis Petrus Arragonum rex repetere Siciliam cœpit. Atq; per annos iam circiter 287 Galli occidentales cum Hispanis de regnis illis immensa cum sanguinis effusione, regionumq; vastatione, decertarunt. In his autem duobus Principibus extincta sunt antiquissimæ & nobilis. familiæ Germanicæ, Ducum Sueuiæ atq; Austriæ. Vtrumq; ducatum postea occupauit Rodolphus Habspurgius Heluetius, inq; feudum filijs eius cessère, Alberto & Rodolpho, quorum hic Sueuiæ Dux, ille Austriæ Dux factus est.

Vide quæ sint initia diuturni Belli Siculi vel Neapolitani inter Gallos & Hispanos.

Recitaui hanc miserabilem, & flebilem historiam ex Ioan. Auentino paulò copiosius, quòd in ea (ceu lucido speculo) cernere licet ingenium Paparum sanguinarium odij pertinacissimi retinens, auaritia & ambitione planè inexplebile, malignũq; per omnia, & beluina ferocia, atrocitateq; furens. Quò item regna & respub. perpulerint Bullæ Pontificum Romanæ, deijcientes hos, & subuehentes illos, pro Pontificum libidine, absoluentes item proceres, & populum à fide suis data principibus, & ab obedientia. Quod si quis obijciat, cur Deus Bestijs istis in optimos quosq; sæuiendi & tanta perficiendi permittat, & nõ potius & sedem & in sede sedentes euertat? In promptu est responsio, oportet implcri scripturas, et illam maxime prophetiam, quam Daniel his verbis protulit: Cornu quod succreuit, habuit oculos, & os loquens grandia, et aspectus eius magnus præ socijs. Et prælium fecit cum sanctis, & præualuit eis, donec venit prouectus ætate, & iudiciũ datum est excelsis sanctis. Et reliqua, Danielis 7. & cap. 8. In nouissimo regni eorum, cum erit magna hominum sceleratorum copia, stabit rex fortis facie, & intelligens ænigma-

Cur hæc recitata.

Cur Deus tam dira in sanctos Dei permittat?

nigmata. Isq; viribus pollebit, nec tamen è sua virtute, & miris modis vastabit, ac prospero successu rem geret, & infestabit robustos, ac populum sanctorũ, proq; sua calliditate fœliciter, per dolos, negotia sua expediet. In animo etiã suo magna sibi sumet, copiaq; rerũ instructus, vastabit multos. Ad hæc resistet summo principi, & absq; manibus conteretur. Etenim & S. Paulus dixit Antichristum occidendum (nimirum in fidelium cordibus) non machera, aut framea, aut Bombardis, sed spiritu oris domini, & abolendum penitus aduentu iudicis iniudiciũ mundi extremum 2. Thes. 2. Sed redeo ad consignationem meam historicam.

Mira Pont. Rom. inconstantia.

1278.

Quemadmodum vero prædicti Pontifices, Gallos in Siciliæ, Neapolisq; & Apuliæ regnum attraxerunt: Ita posteriores Hadrianus 5. & Nicolaus 3. eosdem regno eiectos modis omnibus voluerunt illo Germanos, hoc autẽ Petrum Arragonem cum Hispanis contra Gallos inuitante. Rursus verò Martinus 4. Carolum Francum, à Nicolao deiectum, euexit iterum, & in integrum restituit. Sed frustra. Eodem enim tempore Galli maxima clade, ad Siculas vesperas, sunt attriti, Siciliaq; eiecti, & Petrus Arrago receptus. Qui & nauali prælio Caroli filium nõ procul à Neapoli superatum, & captum captiuum in Hispaniam, magno patris dolore, abduxit. Ipse quoq; Carolus in Aphricam transfretans, ibidem mœrore est confectus, in vltionem, vt tum plerique iudicabant, duorum principum Sueuiæ & Austriæ, indignissimè & præter meritum ab ipso Papa instigante, obtruncatorum, &c.

1283.

1285.

Hispani cum Gallis cõmissi.

At Martinus 4. calamitate Caroli permotus, Petrum Arragonem anathemate ferit, eiusq; regnum in prædam, id occupare volenti, exponit, subiectos eius à iuramenti vinculo absoluit, cruce deniq; signatos in ipsum concitat.

Præ-

Præterea legatos mittit in Galliam ad regem Philippum, eiq; mandat, vt protinus regnum inuadat Arragonum. Rursus igitur classicum canente Papa, ad Gerundam, infestis concurritur signis. Et primo quidem vincunt Galli, mox victoriam reportant Hispani. Quid pluribus opus? miserabilis & luctuosa fit laniena, vastantur longè latèq; omnia, immensusq; funditur sanguis. 1285.

Mortuo Martino alia mox hyena subit, Honorius 4. qui ne quid malorum cumulo decederet, Rodolphum Hab spurgium Romanorum regem, Romam euocat, vt ibi Augusti nomen accipiat, & Campaniam, Calabriam, Apuliam & Siciliam, pulsis Gallis & Hispanis, imperio Rom. asserat. Quo nomine Rod. comitia Wirtzburgen. conscripsit, quæ conuenere frequentiss. In ijs orationem habuit Tullensis episcopus Probus, Tubingens. Theologus, qui inter alia, Quousq; tandem, inquit, collegæ chariss. Romulei illi vultures, patientia nostra, ne dicam stultitia, abutentur? Quousq; eorum flagitia, auaritiam, superbiã, luxumq; tollerabimus? Non cessabit hoc genus archisynagogõν pessimum, nisi omnes ad egestatem & seruitutem durissimam adegerit. Discordia nostra hoc malum creuit. Discordia nostra illi nebulones, tuti sunt. Nec illis regnantibus, vnq; licebit nobis pacem, & pietatem colere. Nuper Saxones & Sueuos inter se commiserunt. Deinde Friderychum 2. reipub. Christianæ vtilissimum, Conradum item 4. principes Sueuos, imperio simul & vita priuarunt, in Germania discordiæ mala seminarũt. Cõradinum deinde insontissimum, & optimæ indolis adolescentem, iure gentium hæreditatem maiorum repetentem, fraude doloq; interceptum, necarunt. Sueuos atq; Francos Vestriacos inter se armis commiserunt. Deinde aduersus hos Hispanos concitarunt: nunc nos aduersus Galliæ atq; 1286. Tullensis epis. contra Papas.

Hiſpaniæ principes, cognatos noſtros, ex Germania quondam profectos, concitare nituntur. Et reliqua quæ in illius epiſcopi oratione ſequuntur apud Auẽtinum lib. Annal. 7. fol. 715. Quis vero hæc & alia his ſimilia Pontificum Romanorum facta legens vel audiens, habeat huiuſmodi Pontifices pro apoſtolicis viris, pacem annunciantibus populis, & non potius pro apoſtaticis Bellonis erinnybus diris furijſq; infernalibus ipſis?

1289 *Circa iſta tempora Comes Tyrolius Meinhardus caſtella aliqua occupauit, hæreditatis iure ad ipſum pertinentia, quæ tamen Tridentinus epiſcopus, affirmabat ad ſe pertinere, nec erubuit non ſuum repetere. Quod cum reddere Comes nollet, Nicolaus Papa 4. Comitem diris deuouit. Qua re Comiti extorſit apologiam, in qua inter alia dicit: Quis tam ferreus, aut vt verius dicam, tam ſtolidum pecus, fuerit, vt ſuperbiam, faſtum, perfidiam, fraudẽ, flagitia, ſcelera, luxũ, auaritiã, nebulonũ iſtorum æquo animo ferat? Eſtne iſthuc paſcere oues, amare gregẽ, opes regnaq; aliena appetere, pro gloria & dignitate digladiari, ouiculas opprimere, occidere, belligerari? Et cum noſtri ſerui ſint, ipſi dominari, cõtra ius gentiũ, aduerſus leges, & oracula diuina, dominos ſibi ſeruire volunt. Si Antichriſti nõ ſunt, quid aliud obſecro ſunt? Et reliqua quæ leguntur apud Auentinũ lib. Annal. 7. fol. 720. 721.*

Comes Tyrolius cõtra Papam & epiſcopos.

1301 *Bonifacius 8. arrogãtiſs. Pontifex vel Platinæ teſtimonio, & author Sexti Decretalium de quo & antea dictum eſt nonnihil, grauiſsimas cum Philippo Galliarum rege ſimultates exercuit, erumpenſq; tandem, Lutetiam cum Bullis legatum miſit, Regi mandans, vt ſedi apoſtolicæ regnum Galliæ reſignaret. Verum noluit Rex tales in vrbe, & regno ſuo publicari Bullas. Quinimò Galli ereptas legato, combuſſerunt igni, & legatum regno, tanq;*

Bonifacius 8. contra regem Galliæ.

regni

regni turbatorem eiecerunt. Rex præterea grauiter accusauit Bonifacium, eiusmodi in ipsum congerens nefanda crimina, quæ ob fœditatem, nolunt referre historici. Pergit tamen ille nihilominus turbas in Gallia excitare, Regi vt se abdicet regno, idq; Romanæ ecclesiæ resignet, mandare, & proceres cæteramq; nobilitatem, à iuramento fidelitatis, quo Regi erant obstricti, absoluere. Rex vero diris his vanissimis nihil permotus, suis omnibus mandauit, ne Romam inuiserent, aut vllas eò pecunias mitterent. Tandem ipsum quoq; arrogantiss. & præfractiss. Pontificem, in vincula conjci curauit, in quibus 35. post die, vt meruit mœrore liuoreq; consumptus interijt.

Clemens 5. non minus quàm sui antecessores, superbus & regnorũ turbator, Venetos, & alias quasdam respub. præclaras, anathemate notauit, omnibusq; diripiendos, nisi ad obedientiam sedis reuerterentur, exposuit, atq; ita Venetos coëgit supplices ad ipsum mittere legatos. Mittebatur autem Franciscus Dandalus, qui postea factus est Venetorum Dux. Vix tamen in conspectum Papæ est admissus. Tandem vero iniecta in collum legati catena ferrea, ad Papæ mẽsam prostratus, tamdiu, plus quàm abiectè & sordidè, iacuit, donec Clemẽtis ira vix expugnata Venetos absolueret ab excommunicatione. Postea vero canis nomen Dandalus accepit, quod canis instar prostratus ad Papæ mensam iacuisset. Author Sabellicus Enneadis 9. lib. 7. Sub finem libri. At quis æquis oculis fœdum hoc spectaculum, indignum Turcæ sæuissimo, ncdum apostolico clementissimo, aspexerit? Cum ratione itaq; insanire oportet, quotquot post tot sceleratæ pudendæq; nequitiæ, tyrannidisq; exempla nefaria, admirantur adhuc adorantq; Romanos Pont. nec oculos recipiunt, illosq; ex suis virtutibus nosse, & fugere discunt. Fallun-

1307

Clemens 5. contra Venetos.

Dandalus canis.

An sedi obediendum cum corrupti sunt sedentes in ea?

tur qui his & similibus auditis, dicunt, Sedem apostolicam non iudicandam esse ex pessimorum in ipsa sedentiũ vita. Ipsam nihilominus esse sanctam, cui sit obediẽdum. Etenim si intelligunt per sedem apostolicam, doctrinam apostolicam & ecclesiæ ministerium, sancta sunt hæc & illibata semper, tametsi qui in ministerio sunt, & euangelium prædicant, sint impuri, nihilominus parendum est sedi apostolicæ, id est, doctrinæ apostolicæ: Sicut antea quoq; dictum est. Si autem intelligunt per sedem, regnum Papisticum vel tyrãnidem potius, qua ex plenitudine potestatis sibi in diuinis & humanis, in ecclesiasticis & politicis imperium pro libitu vendicant, iam sedes non minus est pestifera, & nullo verbo Dei nobis commendata, quàm ipsi in illa sedentes, sunt exitialiss. pestes. Ideoq; ipsi fugiendi sunt, ipsaq; sedes, tanq; abominatio, omnibus bonis est contemnenda. Sed redeo nunc ad interruptam consignationem historicam.

Heinrychus 7. Imp. sublatus veneno.

Idem Pontifex euocauit in Italiam maximo Italiæ detrimento, Heinrychum 7. Lucemburgium Imp. contra factionem Vrsinam, quæ Guelphica erat, & Robertum Apuliæ regem. Cum quibus ille bis conflixit satis fœliciter. Vnde Pontifici Imperatoris potentia suspecta esse cœpit. Pro solita ergo improbitate Pontificum, ad ingenium anteceſſorum suorum declinauit, ac ad Robertum Apulũ, quem Imp. hostem imperij iudicarat, defecit, rescissa iuridica illa Imperat. sententia. Cumq; Imperator festinaret ad occupandum Siciliæ regnum, ad quod initio erat ex Germania euocatus, Bonconuenti, à Bernardo de monte (vt fasciculus temporum habet) Policiano, monacho ordinis S. Dominici, vel prædicatorij, toxico mixto, & in Sacramento corporis & sanguinis Domini exhibito, nouo sanè & inaudito exemplo, peremptus est. Affirmant

1. 3. 13.

autem

autem monachum fuisse corruptum pollicitationibus atq; muneribus hostium Imperatoris, vt rem istam tentare nefandam, ausus fuerit.

Ioan. 22. plurima contra Imperat. Ludouicum 4. ausus, ipsi Imperium abrogauit, totumq; sibi vsurpauit. Nam edita Bulla, apertis verbis, nominat se vniuersi orbis Christiani patrem atq; principem, Dei maximi legatum, apud quem sit summa potestas & imperium maximum, & cuius Imperio iure authoritateq; administretur, & in beneficium, cui libeat, conferatur. Ac sub finem Bullæ Ludouico præcipit, vt intra tres menses, se abdicet Imperio nominiq; regio, nec posthac, nisi iussu, & mandato Papæ, dignitatem resumat. Quod si non obtemperet, mandat omnibus politicis & ecclesiasticis proceribus, vt suum Principem deserant, & ipsum Papæ obedire cogant. Edita est hæc Bulla 8. Idus Octob. anno Domini 1323. Ludouicus verò omnes per Germaniam, Italiam, & Galliam, Lutetiæ, Bononiæ, Paduæ & alijs in scholis diuini humaniq; iuris consultissimos in consilium adhibuit, qui concors ei responsum dedere. Acta contra Imperatorem Papalia, Christianæ doctrinæ repugnare, et Papam dominandi libidine insanire, & in plebem Christi grassari. Imperatorem non esse subditum Papæ, sed Papam Imperatori. Neq; enim seruum seruorum debere dominari, sed recumbentibus potius ministrare.

Ioan.22.contra Ludouicũ 4. Imp.

Vide impudentem audatiam.

Doctorum in præcipuis scholis iudiciũ, pro Imp. contra Papam.

Luc. 22.

At Pontifex clamat istos omnes, qui Imperatori hoc respõsum dedere, hæreticos esse, eosq; omnes vnà cum Imperatore excommunicat, libros q; illorum comburit. Imperator verò conuocatis super hac re comitijs, collectisq; synodis, Papam deponit. Publicè enim vt hæreticus, ecclesiæ tyrannus, & pacis publicæ turbator, proclamatus est, exusta etiam in foro eius imagine. Cæterum mortuo Ioan. 22.

1327.

Clemens 6. contra Ludouicum 4.

continuat iniurias contra Ludouicum Clemens 6. mandans & ipse, vt se abdicet imperio, imò longius progressus, omnes Ioan. 22. processus innouauit, ipsumq; Imperatorem hæreticum & schismaticum esse declarauit, præcipiens insuper Electoribus, vt definito tempore alium Regem eligant, ni malint ipsum Pontificem ipsis dare regẽ. Proinde nimis obsequentes, eligunt Carolum Morauiæ marchionem. Cum autem potior Imperij pars succenseret & Pontifici & Carolo, & agnosceret Ludouicum verum suum dominum & Imperatorem, rursus vtrinq; ad arma concurrebatur, fiebantq; incendia deuastationes & strages, fructus consueti Pontificum, perpetuo non annunciantium pacem, sed canentium classicum.

1346

1381

Hungari euocantur in Siciliam.

Ne vero Italia & Neapolis paululum respiraret a cædibus & vastationibus, Vrbanus eius nominis 6. à potentiss. Hungarorum rege Ludouico petiuit, vt mittat Carolum Duratiæ ducem in Italiam cum exercitu Hungarico. Se enim illi conferre velle Siciliæ regnum. Ergo cum venisset Romam, coronauit illum Siciliæ regem, ita tamẽ, vt nepoti Pontificis optimos aliquot comitatus in regno cederet.

1383

Galli vocantur in Siciliam cõtra Hungaros.

Rursus vero Clemens antipapa, ne vilior Turbano videretur, suarum partium Ludouicum Andeganensem ducem, coronat Siciliæ regem, qui protinus cum sexaginta milibus hominum Italiam intrat. Iterum ergo cædes, incendia, strages fiunt, omnisq; vtrinq; exercetur crudelitas, incentoribus videlicet bonis & pacificis illis apostolicis & pastoribus Rom. ecclesiæ summis. Multa hic prudẽs immania trãseo facinora pontificum, quæ Theodorychus à Nyem historicus 3. de schismate libris copiosissimè, & verissimè prosequitur.

Ad Martinum 5. in Concilio Costantiens. Pontificem creatum

creatum, venio, qui & ipse antecessoribus suis non dissimilis, Aloisio Siculo, feudum confirmauit, contra Alphonsum Hispanum. Vnde iterum calamitates, nec paucæ, nec modicæ sunt exortæ. Idem Pontifex author fuit ciuilis Bohemici belli, & quod maximis copijs Germani in Bohemiam profecti, nihil inde nisi dedecus, & damna retulere maxima. Cædes, incendia, vastationes, & calamitates eius belli, prosequi nolo. Describuntur multis ab Aenea Syluio in Bohemica historia. Idem author exponit nefaria & cruenta consilia, quibus Eugenius 4. Martini 5. successor, ad euertendum consilium Basilien. vsus fuit. Antea vero dictum est, quantum malum idem dederit orbi Christiano, dum contra fidem datam Amurathi Principi Turcarum, Ladislaum regem detruderet in infœlicia arma. 1423 1428 Bellum Bohemicum.

Pius 2. & Sixtus 4. ad arma fuerunt promptiores, quàm ad pacem & prædicationem Euangelij. Nulli cesserunt vel modicè principi, sedisq; maiestatem non tantum conseruare, sed etiam per fas & nefas augere contenderunt obstinatissimè. Historiæ de his abundè testantur. 1458 1471 Regnum Papisticum confirmarunt.

Non referam porrò pluribus, ne molestiam beneuolo exhibeam lectori, quæ Pontifices Romani, nostro seculo hominumq; memoria nostrorum, patrauerunt. Notiora enim hæc sunt, quàm referre oporteat.

Quis enim nesciat, quanta libidine sint vsi, in transferendis regnis, in soluenda subditis fide, & obediẽtia debita, in regibus deijciendis & euehendis, inq; bellis cruentissimis, funestissimisq; concinnãdis? Sic notissima est atrox Alexandri 6. in Carolum Gallorum regem perfidia, quem armauit quidem & euocauit in regnum Neapolitanum, contra Hispanum, mox tamen huic se contra illum adiunxit sceleratissimè. Alexander 6. Papa. 1494.

Iulius 2. Papa. 158. *Iulius 2. Ligur Bellum Venetum omnium maximũ grauissimumq́, quod vix octauo demum anno finiebatur, immenso sanguine fuso, concinnauit, & Ludouicum Gallorum regem contra Venetos concitauit, mox non tantum Venetos, sed potentiß. quosq́ Europæ principes, & populos contra Ludouicum duxit. Idem in negotio Concilij conuocandi sic se gessit, vt ipsi Papistæ vehementer ipsum hac in re reprehendant atq; accusent. Attigit hoc negotium etiam Omiphrius Panuinius in Iulio 2.*

Leo 10. Papa. 1515. *Leo x. turbas à Iulio excitatas, non modo non pacando composuit, sed continuauit, malum malo cõduplicans, gẽtes, in gentes armans, fidemq; neq; Gallis neq; Germanis seruans. Superat hunc & prædecessores aliquot suos Clemens 7. qui primo Cæsaris sequutus partes, mox deinde defecit ad Franciscum Galliarum regem, cui maxima cladis author fuit. In regno enim Neapolitano, quo prælucẽte Papa, Lautrechus instructissimum duxerat exercitum, lue sæuiente inclementissimè, potior exercitus pars interijt. Frijndspergij ducis copiarum Germanicarum historia lib. 8. Fol. 160. affirmat de octoginta millibus, vix residuos mansisse. 1700.*

Clemens 7. Papa. 1525.

Paulus 3. Papa 1546. *Quas verò turbas dederit Germaniæ Paulus 3. Pont. Rom. testatur bellum, quod gestum est in Germaniæ visceribus, & vulgo nuncupatur bellum protestanticum. Italico enim submisso exercitu in Germaniam, Germanos inter se commisit. Id quod ad longum historici exponũt.*

Paulus 4. Papa 1557. *Pauli vero 4. furores, ob recentia adhuc facinora, notiora sunt, quàm pluribus exponere oporteat.*

Conclusio. *Vniuersa verò hæc expositio huc maximè pertinet, partim quidem, vt qui nondum didicere Pontifices Romanos nosse, ideoq; eos adhuc venerantur & adorant, ex ipsis eorum dictis factisq; nefarijs, nosce discant, memo-*

res

res fidelis huius admonitionis Dominicæ: A fructibus ipsorum agnoscetis eos &c. Itaq; sic de eis iudicent porrò, sicut dicta factaq; eorum iudicare docent. In quibus interim intertexta sunt passim aliquot seculorum iudicia aliquot piorum & prudentium virorum de Pontificibus Romanis. Partim ne vlla posthac regna, vllaue respublica, quæ modò scientes & volentes perire nolunt, & tu maximè inclytum Angliæ regnum, Bullis Papalibus, tyrannicè reges deponentibus, regnaq; iniquè transferentibus, subditosq; à fide & obedientia debita absoluentibus, non tantum tribuas nihil, sed eas vt dignæ sunt abÿcias pedibusq; proculces. Audistis quantas calamitates huiusmodi Bullis, Papæ regnis populisq; sæpius attulerint. Sapiens autem habetur, quem faciũt aliena pericula cautum. Proinde si sapitis & fœliciter viuere vultis, fidem datam seruate, & obedite vestris à Deo vobis Principibus datis, pacem colite, inteſtina vel ciuilia & extera bella fugite, Deumq; vt hæc vobis præstare dignetur, fideliter & sedulò orate, & constantes in vera pietate euangelioq; filij Dei, perseuerate, Papisticasq; nugas, superstitiones, & idola semel omnia abÿcite. Hæc dignetur vobis concedere Princeps pacis, qui veniens in hunc mundum, mundo pacem annunciauit, & relinquens mundum, pacem suam suis reliquit, Dominus noster Iesus Christus. Cui gloria in sempiterna secula. AMEN.

FINIS.

Capita confutationis Bullæ Pii. P. 5.

BVllæ Romanæ contra ſereniſſimam Angliæ reginam, & vniuerſum Angliæ regnum inclytum, Periocha. Fol. 3

Poteſtatem illam Pōtificis Romani immenſam non probari his Domini ad Petrum verbis, Petre amas me, paſce oues meas. 4

Pontificios neq; his Chriſti verbis, Oraui pro te Petre, & neq; his, Ecce duo gladij, hic, ſatis probare, ſibi eā datam eſſe poteſtatem, quam iactant. 6

Exponuntur verba ſaluatoris: Tu es Petrus, & ſuper hāc Petrā, &c. oſtēditurq; nihil ibi agi de plenitudine poteſtatis Papæ, neq; eccleſiam Chriſti ſuper Petrum, aut Papam eſſe extructam. 8

Ne quidem clauibus Petro datis, plenitudinem poteſtatis, vel Petro, vel Papæ a domino eſſe traditam: Claues enim longè aliud, & ſacratius quiddam eſſe, quam plenitudinem illam poteſtatis papiſticæ. 12

Quid ſit in euangelio ſoluere, & ligare: & quomodo Apoſtoli domini ſoluerint, & ligarint. 14

Exponitur myſterium armorum, inſigniumq; Romanorum pontificum, in clypeis ſuis oſtentantium, cum duabus clauibus triplicatam coronam. 16

De poteſtate & miniſterio, concluditurq; de clauibus diſputatio. 18

Exponitur Ieremiæ locus: Conſtitui te ſuper reges, & regna &c. & oſtenditur hunc nihil facere ad comprobandam Rom. Pontificis tyrannidem quam contra reges & regna exercet. 20

Romanum pontificem contra exemplum apertum, & mandatum Chriſti domini expreſſum, ſibi vſurpare principatum in reges & populos. 22

Nec ipſos Chriſti apoſtolos ſibi vllum in eccleſia Chriſti principatum, ſed miniſterium tantum vſurpaſſe. 26

Ne Romanos quidem Pontifices primos tātillum in eccleſia

cleſia ſibi vſurpaſſe dominij, ſed humiles Romanæ eccleſiæ paſtores, doctoreſq; & miniſtros, adde & Chriſti martyres fuiſſe. 29

Decretales epiſtolas primorum pontificum Romanorum eſſe ſuppoſititias. 31

Etiam poſteriores Rom. epiſcopos ad Gregorium vſq; primum non iactauiſſe poteſtatis plenitudinem, nec ſe conſtitutos eſſe ſuper reges & regna. 33

Poſtremos Rom. epiſcopos a primis & medijs Rom. epiſcopis, planè degeneraſſe, & titulum plenæ poteſtatis execrabilẽ ſibi contra ius & fas vſurpare. 36

Concluditur hæc diſputatio, oſtenditurq; Pij. v. Papæ ſententiam, promulgatam contra Sereniſs. Angliæ reginam, & inclytum Angliæ regnum prorſus eſſe vanam, & inefficacem. 39

Excutiuntur capita tum accuſationis, tum conuitiorum a Pontifice Romano contra ſereniſs. Anglię reginam in medium per Bullam allata. 40

Reginam Angliæ monſtroſè non dici ſupremum regni Angliæ caput in terris. 42

Reginam Angliæ, adeoq; omnem magiſtratum politicum non monſtroſè decernere de cauſis eccleſię, vel curã ſuſcipere, gerereq; rerũ eccleſiaſticarũ, deponere prauos epiſcopos, & ſubſtituere meliores. 43

Regina Angliæ non hominum opiniones, ſibi regnoq; ſuo ſequendas delegiſſe, ſed purum dei verbum olim ab Eduardo 6, rege indagatum receptumq;, neq; hæreticos libros propoſuiſſe, aut obtrudere regno voluiſſe. 48

Recitantur alia quoq; accuſationis Bullæ capita de abrogata miſſa a regina, & alijs nonnullis ſuperſtitionibus, abuſibuſq; ſublatis. Exponitur item quid Catholicum, & qui Catholici. 50

Iure mandauit ſuis regina Angliæ ne agnoſcãt Romanam eccleſiã, eiuſq; obtemperent præceptis. Iure item ſuos iureiurando coëgit abiurare Pont. Rom. authoritatem, & obedientiam. 53

Reges

Capita confutationis Bullæ.

Reges ac magiſtratus cogere ſubditos debere ad bonum: nec cuilibet permittendum, vt id ſibi deligat ſequendum, quod ipſi videatur optimum. 54

Reges atq; magiſtratus iure punire, adeoq; & cædere eos, qui religionem veram violant, & ſanctis ſe legibus obijciunt: concluditurq; hæc diſputatio. 58

Reginam Angliæ hæreticam non eſſe, & iccirco anathemate non percuſſam, neq; a corporis Chriſti vnitate, reſciſſam. 61

Falſò & tyrannicè decernit Papa Romanus Reginam Angliæ regno, & omni iure regni priuatam. 63

Pontificem Romanam non poſſe eos qui iurauerunt reginæ, a præſtito abſoluere iuramento, fidem enim datã non tàm bonis, quàm malis, eſſe ſeruandã. 65

Proceres, & populus Angliæ non debent parere mandato papæ, neq; eius timere anathema. Oſtenditur autem quid deo præcipiente, ſubditi ſuis debeant principibus, & quàm grauiter deus ſẽper puniuerit rebelles atq; ſeditioſos. 69

Quantas calamitates, quantaq; mala regnis & populis in orbe Chriſtiano 400. iam annis & amplius, Romani Pontifices intulerint, pro plenitudine poteſtatis ſuæ, reges deponendo, & regna tranſferendo, ſubditoſq; a fide & obedientia debita abſoluendo, breuis hiſtorica commemoratio, vel conſignatio. 72

FINIS.

5: Class: Dextr: ——— 17.

INCHES
1
2
3
4